ANNOTATIO

IN LOCA NONNULLA

NOVI TESTAMENTI.

EDIDIT

WESSEL ALBERTUS VAN HENGEL.

AMSTELAEDAMI

APUD J. VAN DER HEY ET FILIUM

CIƆIƆCCCXXIV.

PRAEFATIO.

Libellum accipis, Lector benevole! cui alterum pluresque ejusdem argumenti adjicere, et in mente mihi est, neque deest rerum copia. Cur vero spem hujus viae persequendae quam fidem tibi dare maluerim, causas nunc breviter enarrare lubet. Primum enim, nondum illâ liberatâ fide, quam ante biennium et quod superat in Praefatione, *orationum* aliquot *sacrarum* editioni praemissâ, popularibus meis me facere memini, nihil amplius in me suscipere ausim; immo vero, ut nomen exsolvam in me contractum, constitutum mihi nunc est, ad *Lineamenta Rhetorices Sacrae* vel *Homiletices*, ibi promissa, tandem aliquando absolvenda inque lucem provehenda, quantum habeo subsecivi temporis, potissimum impendere. Deinde, antequam quod mihi propositum est peragam, ex virorum doctorum hoc de labore judiciis intelligere volo, num, eodem, quem ingressus sum,

tramite deinceps procedens, augurare mihi possim, me operae pretium facturum esse. Accedit hisce et multitudinis negotiorum, quibus me muneris mei amplitudo adstringit, et fragilitatis humanae cogitatio. Annos enim si illos in memoriam revoco, a quibus ex Academiae Leidensis stadio in lucem hominum egressus sum; ecce! varia mihi occurrunt, quae me mortalem esse moneant: multorum inprimis dico amicorum, qui in flore aetatis exstincti sunt, acerbam et immaturam mortem; omniumque, praeter duo clarissima Academiae illius lumina J. VAN VOORST et J. H. VAN DER PALM, quibus longam et jucundam senectutem praebeat Deus! omnium, inquam, ceterorum, quos habere mihi contigit, praeceptorum discessionem ex vitâ. Officia autem mecum reputans mihi imposita, tum universam Theologiae provinciam cum hujus Athenaei Amstelaedamensis alumnis, hoc a me petentibus, obeundi; tum alternis septimanis pro concione sacrâ dicendi; tum alia exsequendi eademque varii generis; paucissimas tantum mihi superesse video horas, quibus scriptio

pau-

paulo majoris ac severioris curae elaboretur. Quae cum ita sint; cavendum mihi putavi, ne forte vanus essem promissor: sed si hoc inceptum continuare, et aequis harum rerum judicibus haud ingratum erit, et mihi per valetudinem atque otium licuerit; curabo, ut hujus libelli emtoribus, unâ cum altero volumine, *Fasciculi I.* afferatur titulus.

Ad annotationem redeo nunc editioni paratam. Nonnulla, uti spero, continet reapse nova: sed vereor, ne et alia quaedam ei insint, quae, quamquam a viris doctis jam occupata erant, pro novis ego imprudenter habui. Quis enim in tantâ librorum copiâ, quantâ his utimur temporibus, a literarum sacrarum interprete postulet, ut omnes illos, qui ipsi adjumento esse queant, aut possideat, aut evolvat inque consilium suum adhibeat? At uti de locis a me tractatis longe plures legi scriptores, quam excitabam; ita, quidquid aliunde petieram, auctoribus suis fideliter ac religiose reddidi. Quod autem vetustiorum interpretum scripta praecipue laudavi, nemo mirabitur,

 si

si me hoc fecisse dixero, tum quia in iis optimos interpretandi duces mihi ipse invenisse viderer, tum quoque ut juventuti stimulos admoverem iisdem se ducibus committendi. Et sane dolendum est, CHRYSOSTOMI, ERASMI, LUTHERI, CALVINI, BEZAE, LAUNAEI similiumque virorum commentarios, quamvis hodieque in laude habentur, non nisi paucorum tamen in manibus esse. Quid GROTIUM memorare opus est, interpretum N. T. primum facile ac principem, cujus in scriptis dicere nequeo, quantum boni ad literas sacras illustrandas resideat, quod recentioris aetatis homines, vel immerito improbaverint, vel temere neglexerint? Equidem talia tanquam ex tenebris in lucem revocare, vel, si non plane oblivione obruta erant, argumentorum pondere commendare, haud minus utile duxi, quam nova aut adhuc inusitata in medium proferre.

Interpretandi regulas quod attinet, quas hoc in libello secutus sum; de earum quidem bonitate, ego non dubito: nec tamen credibile est, quae mihi

hi placuissent placituras omnibus esse. Videlicet: interpretationem literarum sacrarum multo magis, quam adhuc fieri soleat, ad linguarum instituendam esse Analogiam, sentiendique ac loquendi rationem, omnibus hominibus sanae mentis propriam: *Hebraismorum*, *Ellipsium*, *Pleonasmorum* certas, pro magnâ parte, esse causas; atque his repertis expediri haud pauca, quae adhuc pro ambiguis habita sint, et illustrari, quae cubent in tenebris: *Nominibus*, *Verbis*, *Particulis*, etiamsi nunc latius, nunc restrictius accipienda sint, vim tamen tribui non debere, quâ notio eorum propria prorsus evertatur: *Genera*, *Tempora*, *Numeros*, *Casus* haud ita crebro pro scriptorum arbitrio permutari; sed gravibus plerumque de causis, tam ex orationis argumento, quam ex loquendi usu eruendis. Haec vero et hujus generis plura, ne haec scriptio in molem excresceret, obiter tantum attingere licuit, nullo modo exponere, multo minus defendere: sed ut mihi persuasum est, ista non temere a me sumta esse; ita hac in opinione versor, me observandis iis nonnihil lucis literis il-

lis

lis attulisse sacris, quas pro vivendi normâ divinitus accepimus.

Ceterum ingratus videri nolo praetereundis laudibus amicorum, qui se in magno occupationum concursu obtulerunt, ut mihi, hunc libellum publici juris facienti, tum corrigendis Typothetarum mendis, tum aliis nominibus inservirent. Quorum vero humanitati ut multum me debere profiteor; sic et multum tibi debebo, Lector! si de erroribus meis placide leniterque judicaveris.

ANNOTATIO.

Matth. XXIII: 34, 35.

Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω πρὸς ὑμᾶς προφήτας, καὶ σοφοὺς, καὶ γραμματεῖς· καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε καὶ σταυρώσετε, καὶ ἐξ αὐτῶν μαστιγώσετε ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν καὶ διώξετε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν· Ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα δίκαιον, ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ τοῦ δικαίου, ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου, ὃν ἐφονεύσατε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου,

Quamvis Novi Testamenti interpretes hoc de loco inter se disputant; longe plurimi tamen eorum ipsum censent JESUM hujus orationis auctorem fuisse. Quorum igitur ex sententia Judaeis, et quam crudeliter legatos suos tractaturi, et quam atroces scelerum suorum poenas ipsi tandem passuri essent, vatum antiquorum more praedixit. Sed si haec verba ex mente JESU profecta sunt, neque aliunde ab illo repetita; valde miramur, eum *de suis* tantum *legatis* locutum esse, *de se* vero siluisse, omnium eorum, quibus gravissimae Judaeorum injuriae imminerent, capite et principe: nam, quod sumsit GROTIUS in *Comm.* ad h. l., figuram hîc reperiri, quam *σύλληψιν* dicunt Grammatici, vehementer vereor, ne hac ab oratione, cujus auctor se ab aliis distinguit, plane abhorreat. Mirandum quoque est, qui sectatores suos *ἀποστόλων* et *μαθητῶν* nomine dicere soleret, nunc a loquendi usu discedentem,

eos προφήτας, σοφοὺς et γραμματεῖς vocasse (*). Fortasse quidem quis putat, hoc proposito JESUM, ut legatos suos cum antiquis Dei vatibus, vers. 29 sqq. memoratis, compararet, his usum esse verbis: quae sententia est CHRYSOSTOMI, MUSCULI aliorumque interpretum magni nominis; sed cur, quaeso, ille, si hoc volebat, voci προφήτας sqq. non adjunxit ἄλλους vel πλείονας τῶν πρώτων, quae occurrunt *Matth.* XXI: 36. vel simile quid, quo mentem suam perspicue explicaret? At haec leviora sunt, quam ut urgendis iis lectorem moremur. Majoris ponderis erit ostendere, orationem JESU talem esse, ut vulgari hujus loci interpretationi acriter repugnet.

Nimirum, quae versibus praecedentibus continentur, non ita cum versu 34 cohaerent, ut ab ejus initio JESUM facere possimus dicentem: *Propterea, ecce! ego mitto vobis Prophetas.* Facillima quidem primâ fronte esse videtur EUTHYMII *Zigabeni* explicatio in *Comm.* ad h. l.: Διότι μέλλετε πληρῶσαι τὸ μέτρον τῆς κακίας τῶν πατέρων ὑμῶν. sed haec quoque parum accommodata est orationi proxime sequenti. Quod cum sentirent viri docti, pars distinctionem verborum vulgo receptam mutarunt; pars vocibus διὰ τοῦτο notionem minus vulgarem tribue-

(*) In simili loco *Luc.* XI: 49, de quo infra plura dicentur, vox quidem ἀπόστολος legitur; sed ita scripsit auctor, sermonis Jesu interpretandi causa. Cf. GERSDORFII liber praeclarus, cui titulus: *Beiträge zur Sprach-characteristik der Schriftsteller des Neuen Testaments.* Tom. I. p. 264.

buerunt. Illi igitur, vel voces hasce, suo loco motas, versui annexuerunt praecedenti, vel eas, verbis proxime sequentibus ἰδοὺ — γραμματεῖς in Parenthesi positis, cum remotioribus hisce copularunt: καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε κ. τ. λ. Cff. WOLF in *Curis* et KUINOELIUS in *Comm.* ad h. l. At vero, uti gratus ac facilis orationis cursus hoc utroque modo impeditur, sic loquendi usus, in Veteris Testamenti libris se ubivis prodens, eo omnino negligitur. Exemplo nobis sint: 1 *Reg. XIV*: 10: Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ ἄγω κακίαν πρὸς οἶκον Ἱεροβοάμ. *Jerem. XVI*: 21: Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ δηλώσω αὐτοῖς ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ τὴν χεῖρά μου. *Hos. II*: 14: Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ πλανῶ αὐτὴν. Loca autem ex N. T. excitandi nobis defuit copia: quoniam ibi, nisi nos fallit memoria, nihil simile legitur. Cf. ARETIUS in *Comm.* ad h. l. Quod tamen vide, quantum momenti nostrae adjiciat sententiae, orationem Jesu aliunde, quam ex ipsius mente repetendam esse.

Haud multo meliores se hujus loci interpretandi praestant duces, qui propriam et vulgarem vocum διὰ τοῦτο notionem deserere jubent. Fatemur quidem, eas et hîc, et alibi, orationis tantum contextae ratione habita, vel *interea*, vel *posthac*, vel *profecto*, vel *nihilominus tamen* vertendo reddi *posse*; sed num usquam *necesse sit*, ut, rejectâ genuinâ illarum vi et potestate, his similibusve modis sumantur, valde dubitamus. Neque assentimur KUINOELIO, quod antea scripsit, in *tertia* Commentarii sui *editione* repetenti: meram nem-

pe in iis cerni transeundi formulam, quae in *Versione*, quam dicunt, silentio praetermittenda sit. Novimus quidem, *conjunctiones*, quarum in numero hic *διὰ τοῦτο* est, ab antiquis scriptoribus, si clarissimi horum temporum interpretes bene judicant, frequenter ita usitatas esse, ut plane redundarent. Sed primum vix credendum videtur, sibi frequenter permisisse scriptores, quod in collocutione familiari sibi nemo sobrius facile permitteret, nec permittat hodieque. Deinde locis, ubi multi conjunctiones superfluas esse opinantur, sedulo lustrandis, haud raro causam hujus opinionis in eo positam esse deprehendimus, quod auctor vel illud, quo sententiarum nexus declarandus erat, in animo retinuit, vel paulo insolentiori verborum structurâ usus est. Quapropter, sicubi viri docti hac de re loquuntur, statim se nobis offert suspicio, eos orationis seriem non ab omni parte assecutos esse. Atque eandem suspicionem, cum particulis hisce vim tribuunt, propriae earum notioni adversantem, a nobis amovere non possumus. Sed quid philosophando disputationem trahimus? Proferamus potius, quod lectis et relectis omnibus (absit verbo invidia) sacrarum literarum locis, quae NOLDIUS(*), BIELIUS(**), SCHLEUSNERUS (†) et ipse KUINOELIUS ad interpretandas vo-

(*) *Concordantiae Particul. Ebraeo-Chald.* p. 434, 435.

(**) *Nov. Thesaur. Philol.* ad v. οὗτος.

(†) *Nov. Thesaur. Philologico-crit. et Nov. Lexic. Graeco-Lat. in N. T.* ad v. οὗτος.

voces לָכֵן et διὰ τοῦτο attulissent, nobis satis exploratum esse videatur. Videlicet persuasum nobis est, locorum illorum pleraque ejus indolis esse, ut particulae illae sine dubio in vocem latinam *propterea*, aliamve huic potestate aequalem, converti debeant: cetera autem, quarum tanquam prima frons lectorem decipiat, eandem sibi quoque postulare interpretationem, si modo quis *logicum*, quem appellant, sententiarum nexum bene constituerit, vel, quae a scriptore omissa sunt, suppleverit. Hoc vero cum nusquam difficilius sit, quam in Vatum Hebraeorum oraculis et carminibus Poëtarum, ubi mens, in sublime elata, orationis absolvendae et perficiendae haud raro immemor est; quisque intelligit, cur loca, in quibus voces לָכֵן et διὰ τοῦτο a notione propriâ discedere videntur, longe plura his exstent in scriptis, quam in libris argumenti historici vel epistolis Apostolorum. Et nonnunquam fortasse difficultas seriei orationis reperiundae librarios ad scriptionem mutandam impulit. Exemplo utamur petito ex *Psalmo XXXI:* 23, ubi Poëta aït:

וַאֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי
נִגְרַזְתִּי מִנֶּגֶד עֵינֶיךָ
אָכֵן שָׁמַעְתָּ קוֹל תַּחֲנוּנַי
בְּשַׁוְּעִי אֵלֶיךָ

Quem versum sic reddidit Interpres *Alex.* Ἐγὼ δὲ εἶπα ἐν τῇ ἐκστάσει μου· Ἀπέῤῥιμμαι ἀπὸ προσώπου τῶν ὀφθαλ-

ὀφθαλμῶν σου· διὰ τοῦτο εἰσήκουσας, κύριε, τῆς φωνῆς τῆς δεήσεώς μου ἐν τῷ κεκραγέναι με πρὸς σέ. Similiter Interpret. *Aethiopica* et *Arabica* in *Polyglott.* At *Paraphrastes Chald.*, scribens בְּקוּשְׁטָא, editionem Hebraicam secutus est. SYRUS quid suo in exemplari legerit, certo dici non potest, cum pro verbis אכן שמעת ab eo substituatur tantum ܘܫܡܥܬ ܠܝ. Recentiores vero Interpretes et in editione vulgo recepta acquiescunt, et vocem אכן plerique eorum pro Particulâ sumunt *Adversativa.* Ita post alios nuper praeclari viri, ROSENMULLER (*), MUNTINGHE (**) et VAN DER PALM (†). Sed sententia: *Propterea audivisti me precantem*, egregie ad Poëtae mentem apposita est, si preces ejus, praecedenti sententiae: *a facie tua rejectus sum*, implicitas, hoc modo expedimus: *favorem tuum mihi restituas.* Quare Interpretem *Alex.* cum sequacibus veram servasse scriptionem, et לכן pro אכן legendum esse conjecimus: quod tamen si quis improbaverit, acriter cum eo non pugnabimus. Verum, ut in viam revertamur, si supra disputata bene se habent, rationem sic concludere possumus: Verba JESU *διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω* et conjungenda, et vertendo reddenda esse: *Propterea, ecce, ego mitto.*

Quemadmodum praecedens JESU oratio vulgari hu-

(*) *Scholia in V. T.* ad h. l.

(**) *De Psalmen vertaald etc.* ad h. l.

(†) *Bijbel* ad h. l.

hujus loci interpretationi obstat; sic ei etiam refragantur versus proxime sequentes. JESUM enim, postquam vers. 36, cujus illustrandi copia infra erit, oraculi modo editi veritatem confirmavit, patriae suae videmus miserantem, calamitates ei imminentes deplorantem, precibus et lacrymis obtestantem populares suos, ut mores corrigant, malumque sibi appropinquans avertant. Cf. *Luc. XIX*: 41, 42. Jam vero cum haec ex pectore emanaverint, tristitiae ac misericordiae plenissimo; quomodo, quaeso, eodem ex fonte paulo ante profluere potuit vaticinium illud horrendum, animum prodens exacerbatum et iratum, quod verss. 34 et 35 legitur? Hoc certe nobis dabit unusquisque intelligens rerum judex, si quae horum versuum se offerat interpretatio universae JESU orationi magis accommodata, hanc vulgari longe praeferendam esse.

Atque huc ducere nobis videntur, quae a nonnullis viris doctis, praeëunte CALVINO, scripta sunt. Hic nempe interpres acutissimus, excitatis verbis: *καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν*, quae in simili LUCAE loco *XI*: 49 leguntur, et vulgari eorum interpretatione memorata, hanc promit sententiam: „ Mihi tamen magis probatur, recepto Scripturae „ more Deum hîc sub persona Sapientiae suae loquentem induci, ut sit sensus: Pridem de vobis „ Spiritu Prophetico Deus edixit, quid futurum „ esset. Nusquam, fateor, ad verbum haec sen„ tentia legitur: sed quia passim Deus indomitam „ illius populi contumaciam exagitat, quasi epito-

„ men Christus colligit, atque hac prosopopoeïa „ clarius exprimit, quodnam fuerit Dei judicium „ de insanabili gentis illius pravitate." Quibus paulo inferius haec subjungit: „ Quod ad verba „ spectat, defectiva est oratio apud Matthaeum, „ cujus sensus suppleri debet ex Lucae verbis." Eadem suo more habet MARLORATUS *Expositione Eccles.* ad h. l. Neque ab hac interpretatione GROTIUS, quamquam plerorumque interpretum sequitur sententiam, plane alienus est, cum *ad verbum ἀποστέλλω intelligi posse* moneat εἶπε Θεὸς, *ut interdum apud Prophetas.* SEGARIUS item (*) ipsum quidem Christum a LUCA l. l. τὴν σοφίαν τοῦ Θεοῦ appellatum esse censuit, sed haec tamen scripsit verba: „ Forte locus Matthaei „ ita intelligendus, ut per ellipsin omissum sit, „ λέγει ὁ Θεὸς, vel simile quid, et *Sapientia Dei* „ hic idem significet, ac *Deus Sapientissimus.*" Atque haec interpretatio recentiori memoria tam egregie a PAULO ornata et commendata est (**), ut valde miremur, et in neminem nos incidisse, qui eam approbasset, praeter unum SCHOTTUM (†), et KUINOELIUM adeo eam tanquam admodum duram rejecisse. Ni-

(*) *Observationes Philologicae et Theologicae in Evangelii* LUCAE *Capita XI. priora. pag.* 324.

(**) *Philologisch-Kritischer und Historischer Commentar uber das N. T.* Tom. II. p. 171 sqq. Ed. 2. coll. Tom. III. p. 371. Ubi tamen orationem MATTHAEI imperfectam sic suppleri jubet: ἔφη τις, vel LUCAM voce σοφία librum aliquem deperditum significasse conjicit, equidem illi non assentior.

(†) *Novum Testamentum, Graece* etc. ad h. l.

Nimirum si statuimus, JESUM in oratione, quam nunc illustrare conamur, verbis ipsius Dei aliunde excitatis usum esse; nihil a nobis sumitur, quod a verisimilitudine abhorreat. Saepissime enim Hebraeorum vates, ut vulgo notum est, Deum loquentem induxerunt: quod et a JESU haud raro factum esse, docent *Matth. IX:* 13. *XV:* 8, 9. *XXI:* 13. *XXII:* 32. *XXVI:* 31. ne aliorum scriptorum loca afferam. Fortasse quis ajet, excitandi formulam *εἶπεν ὁ Θεὸς* vel *λέγει ὁ Θεὸς*, vel harum similem, quae illis in locis reperitur, hîc desiderari: hanc vero contradictionem ut refellamus, paulo uberius de reticentia ista disputandum est.

Sicuti viri docti satis superque probarunt, *dicendi* verbum in Graecorum et Romanorum libris saepe deficere (*); sic ingens in literis sacris exstat locorum copia, quae, nisi verbum istud orationi adjicitur, nonnihil habent obscuritatis: cujus generis exemplum se prodit hoc ipso in capite MATTHAEI *XXIII:* 18, ubi ante verba *Ὃς ἐὰν ὀμόσῃ* Participium *λέγοντες* ex vers. 16 repeti debet. Cf. STORR. *Opusc. Acad. ad Interpr. libr. Sacr. pertinentia.* Vol. II. p. 239. Haud raro item factum est, ut his in libris, praeter verbum illud, aliud quoque vocabulum vel plura reticerentur. Uti enim *Jes. XIV:* 16 editioni Hebraicae deëst verbum

(*) Vide WESSELING. ad DIOD. *Sic.* Lib. *XII.* cap. 9. L. BOS. *Ellips. Graec.* Edit. G. H. SCHAEFER. p. 632 sqq. aliosque.

bum compositum וְאָמְרִין, quod Interpres *Alex.* scribendo *καὶ ἐροῦσιν* supplevisse videtur; ita orationi JOANNIS in *Euang.* I:21: *ὁ προφήτης εἶ σύ*; cogitando adjiciendum est: *καὶ ἔλεγον*, vel, si mavis, *καὶ ἠρώτησαν.* Eadem breviloquentia cernitur, nisi fallor, *Act. Apost. III:6*, ita ut verbis PETRI, *ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου* praeponenda sint *λέγω σοι*, et sequentia *ἔγειραι καὶ περιπάτει* ab illis sejungenda. Quod si recte se habet, dictionis sensus hic erit: *Auctoritate Jesu Christi Nazareni tibi dico: erige te et ambula!* Hanc autem interpretationem, a SCHLEUSNERO in *Lex. v. λέγω* aliisque jam propositam, valde probabilem reddit dictum PAULI haud dissimile *Act. XVI:* 18: *παραγγέλλω σοι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς.* Ipse JESUS *Matth. XXV:* 28 ita loquens inducitur, ut his temporibus, quibus doctoris divini os intueri datum non est, sententia ejus parum possit intelligi, nisi, quod LUCAS habet in loco simili *XIX:* 24, in sermonem ejus inseratur: *καὶ τοῖς παρεστῶσιν εἶπεν.* Sed in hujusmodi locis lustrandis longus esse nolo. Legantur praeter alios GLASS. *Philol. Sacr.* Tom I. p. 617, 620, 1361. ed. *Dathii.* WOLF. *de agnitione Ellipseos in interpretatione Libr. Sacr.* in POTTII *Sylloge Comment. Theolog.* Vol. *IV.* p. 165, 166. Qui quamvis unum alterumque proferunt exemplum, quod huc minus spectat (*), luculenter tamen demon-

(*) *E. c.* WOLFIUS, vereor, ne DAVIDIS orationi *Psalm. VIII :* 5 minus apposite cum aliis interpretibus adjiciat

monstrant, hanc breviloquentiam Hebraeorum in scriptis familiarem esse. Animadvertendum autem est, non solum *dicendi* verbum una cum aliis variisque vocibus in scriptorum sacrorum oratione deficere, sed etiam formulam εἶπεν ὁ Θεὸς, vel λέγει ὁ Θεὸς, similemve. Ex V. T. satis nobis sit excitare *Mal. III* : 1, ubi et verbis הִנְנִי שֹׁלֵחַ מַלְאָכִי istud אָמַר יְהוָה, quod ad finem hujus versus legitur, subjiciendum est. Cf. I:2, 13. Quam congruens autem hujus vatis oratio cum oratione JESU sit, clarius elucebit, si interpretationem ejus descripserimus *Alex.*, ubi haec leguntur: Ἰδοὺ, ἐξαποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου, καὶ ἐπιβλέψεται ὁδὸν πρὸ προσώπου μου &c. Sed ad N. T. transeamus, ipsiusque JESU sermones cum loco, in quo versamur, conferamus. Evolvatur igitur *Matth. XVII*: 11, 12, ubi, cum discipulis ille, et venturum esse, dicat, ELIAM, et eundem jam venisse, duo profert, quae simul constare nequeunt, nisi priori sententiae praeponuntur verba *dicunt literae sacrae*, vel *dicit Deus*, vel etiam, quae SCHOTTO placent, *ajunt*

אָז אָמַרְתִּי. Hic versus enim cum praecedenti ita cohaerere videtur, ut huc redeat sensus: *Si majestatem tuam contemplor in coelis conspicuam, non est profecto in homine, cur ei tam bene facere constitueris.* Sic hunc locum jam accepisse puto JESUM *Sirachidem*, scribentem *XVIII*: 8: Τί ἄνθρωπος, καὶ τί ἡ χρῆσις αὐτοῦ; τί τὸ ἀγαθὸν αὐτοῦ, καὶ τί τὸ κακὸν αὐτοῦ; i. e. si mentem auctoris assecutus sum: *quis homo est, ut Deus emolumentum ab eo capiat? Quid boni malive ab eo in Deum redundabit?* Cui interpretationi non repugnant *Job. VII* : 17 et *Psalm. CXLIV*: 3, favet vero insigniter *Act. XVII*: 24, 25.

ajunt legis interpretes: ita ut sic absolvatur oratio: *Λέγουσι μὲν οἱ γραμματεῖς, ὅτι Ἠλίας ἔρχεται* &c. Haec autem vel similia si MATTHAEO cogitatione adduntur, et egregie inter se cohaerent omnia, et in promtu causa est, cur JESUS versum 12 sic incipiat: *Λέγω δὲ ὑμῖν.* Cf. *Marc. IX*: 12, 13. Eodem modo tractanda sunt, quae leguntur *Matth. XVIII*: 16: *Ἐὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα ἢ δύο· ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα.* Nimirum, nisi voci *ἵνα* cogitando adjicitur formula *ὡς εἶπεν ὁ Θεὸς*, mens JESU intelligi nequit. Verba enim excitat, quae *Deut. XIX*: 15 reperiuntur, et alibi, tum ab eo (*Joann. VIII*: 17), tum a PAULO (2 *Cor. XIII*: 1) ad rem suam convertuntur: atque his utens, nihil aliud agit, quam ut mandatum modo praescriptum divina comprobet auctoritate. Hanc autem citandi rationem imitati sunt doctores Christianorum veterum, uti incertus auctor *Constitutionum Apostol.* Lib. II. cap. 14, qui ad vituperatores eorum, quos peccatorum suorum poeniteat, monendos et corrigendos locis *Ezech. XVIII*: 20 et *XIV*: 13 sic utitur: *Οὐ γινώσκουσιν, ὅτι χρὴ φυλάσσεσθαι, οὐ τὴν ἐν λόγῳ κοινωνίαν πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας, ἀλλὰ τὴν ἐν ἔργῳ. Δικαιοσύνη γὰρ δικαίου ἐπ' αὐτὸν ἔσται, καὶ ἀνομία ἀνόμου ἐπ' αὐτὸν ἔσται. καὶ πάλιν· Γῆ ἐὰν ἁμάρτῃ μοι τοῦ ἀδικῆσαι ἀδίκημα, Καὶ ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου ἐπ' αὐτὴν κ.τ.λ.* Formulam *λέγει ὁ Θεὸς*, vel *ἡ γραφὴ*, vel similem bis reticeri, nempe post vocabula *γὰρ* et *πάλιν*, quisque videt.

Ap-

Apparet igitur ex iis, quae adhuc notavimus, formulam λέγει ὁ Θεὸς vel similem in literis sacris plus semel desiderari. Sed probare possumus desiderari quoque easdem post vocabula διὰ τοῦτο, διότι, ἕνεκεν τούτου, et quae hujus generis plura sunt. Quod ubinam, quaeso, evidentius est quam in verbis JESU *Marc. X*: 7: Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα κ. τ. λ.? Deum enim ab eo induci, mandata sua, per MOSEN Israëlitis data, ex *Gen. II*: 24 repetentem, luculenter declarat versus 9, ubi, hac admonitione: Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω, oratio praecedens *Deo* vindicatur. Quamobrem MATTHAEUS loco simili *XIX*: 4 haec adscripsit: Ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ - - - εἶπεν: et SCHOTTUS interpretationem MARCI sic constituit: „ Propterea vir (ut ibi dicitur *Gen. II*: 24) patre et „ matre relictis, uxori adhaerescet." Eadem in locorum classe numerari debet 1 *Pet. I*: 24, ubi legimus: Διότι πᾶσα σὰρξ ὡς χόρτος κ. τ. λ.. Nulla enim causa est, cur Apostolus ad hanc orationem cum praecedente conglutinandam voce διότι utatur, nisi vocem istam pendentem facimus a verbis λέγει ὁ Θεὸς vel similibus, quae PETRUM scribentem in mente habuisse, persuasum mihi est. Talem vero formulam si nos quoque, hujus orationis lectores, in mente habemus; vide, quam recte ratiocinetur Apostolus: *Quoniam inter semen, quod hanc vobis dedit vitam, mortale, et semen corruptionis expers, ex quo renati estis, multum interest, ipse dicit Deus*: πᾶσα σὰρξ ὡς χόρτος κ. τ. λ. Significat nem-

nempe effatum Dei, quod reperitur *Jes. XL*: 6-8, et quod a Petro memoriter excitatum esse, bene monet POTTIUS ad h. l. In V. quoque T. loca sunt, ubi post *conjunctionem*, quam vocant, *conclusivam* eadem se prodat breviloquentia. Evolvatur *Hos. II*: 14, quem locum supra jam attulimus, et conferantur cum eo versus 6, et 9, in quibus et vocabula *διὰ τοῦτο* leguntur. Adde 1 *Reg. XXII*: 19 et 2 *Chron. XVIII*: 18, ubi Interpretes *Alex.* scripserunt *οὐχ οὕτως*, quoniam hic, uti aliis in locis (*), vocem לָכֵן, qua scriptores Hebraei usi erant, cum לֹא—כֵן confundebant. Quemadmodum autem in uno horum locorum deficit formula: *Ego tibi dico;* sic et hac ipsâ verbis Dei *Gen. IV*: 15 כָּל—הֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם adjectâ, orationis seriem via et ratione procedentem facimus. Hanc enim ei tribuimus mentem: *Quoniam hic te cruciat metus; ego tibi dico*, (vel declaro) *si quis occiderit* CAINUM, *hunc gravissime punitum iri.* Quod si vidissent Interpretes *Alex.* aliique, tam recentiores quam veteres; ab editione vulgari fortasse non discessissent, faciliusve se in sensus enarratione expedivissent. Cff. ROSENMULLER, VATER (**) et VAN VLOTEN (†) ad h. l. Jam

(*) Multis exemplis hoc ostendit VOORSTIUS in *dissert. Philol. de notabili correctionum Masoreth. genere, quod spectat loca controversa, ubi Negativam in Affirmativam et Affirmativam contra in Negativam sententiam converti volunt.* pag. 9, 10.

(**) *Commentar über den Pentateuch.*

(†) *De Bijbel vertaald, omschreven en door aanmerkingen opgehelderd.*

Jam evicisse nobis videmur, nostrae sententiae, verba JESU Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω pro Διὰ τοῦτο λέγει ὁ Θεὸς, ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω sumenda esse, non repugnare loquendi usum, in literis sacris reperiundum. Si quis autem nos urget interrogando, cur huic loco illa desit excitandi formula? praesto nobis est, quod ei respondeamus. Scilicet omissionis causam positam esse arbitramur in graviore animi commotione, quae JESUM Judaeorum scelera perstringentem, iisque diem fatalem praenunciare volentem agitaverit. Tantopere enim oratorem, cujus pectori timoris dolorisve stimulus insideat, incitari ac propelli solere, ut omnes voces vel rerum imagines, quae menti ejus obversentur, ore exprimere nequeat, sua quemque docebit experientia. Cff. WOLFIUS in POTTII *Syll.* I. vol. VII. p. 64. et scriptores ab eo excitati.

Aliud argumentum huic loco formulae λέγει ὁ Θεὸς inserendae nobis praebet GERSDORFIUS l. c. p. *XXI* et 76, 77, ubi vocem ἰδοὺ ab aliena manu profectam esse suspicatur, quoniam hic non reperitur εἶπε vel verbum simile, quod scriptores N. T. ei fere ubique praeponunt. Se hoc de loquendi usu verum dicere, vir egregius exemplorum copia describenda abunde probat. Nobis vero alia facienda videtur conclusio, nimirum haec: MATTHAEUM, scribentem ἰδοὺ, verba λέγει ὁ Θεὸς in mente habuisse, neque igitur a vulgari dicendi ratione omnino discessisse; at librarios nonnullos, cum hanc formulam desiderarent, pro suâ scilicet

sa-

sapientiâ, illud etiam vocabulum ἰδοὺ omisisse.

Sed uberius demonstrandi, hunc omnino locum in iis esse, ubi formula λέγει ὁ Θεὸς reticeatur, otium, uti speramus, nobis fecit LUCAS, cum, ut supra jam indicavimus, *XI*:49 scribebat: Διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν· ἀποστελῶ κ. τ. λ. Satis certum enim est, hunc Euangelistam, et verborum JESU interpretationem, non ipsa ejus verba, quae MALDONATI sententia in *Comm.* ad h. l. est, lectoribus suis tradidisse, et, *sapientia* denotantem *eum*, *qui hac virtute polleret*, *abstracto* pro *concreto* usum esse (*). Et frustra disputant, qui ad diversa tempora referre jubent, quae a MATTHAEO et LUCA narrata sunt, uti CARPZOVIUS (**) MICHAËLIS (†), aliique. Magis tamen fortasse cui placebit argumentatio NOESSELTI (§) et plerorumque interpretum, qui vocabula ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ sic explicant, ut JESUM faciant se ipsum vel *doctoris divini*, vel *filii Dei* titulo appellantem: quod SEGARIUM quoque voluisse supra vidimus. Sed si hoc loco de se locutus esset, dicturum eum fuisse: ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ λέγει· ἀποστελῶ εἰς ὑμᾶς, neutiquam vero, quod nobis traditum est, ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν· ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς, recte monuit PAU-

LUS

(*) Conferri possunt quae disputavimus in *Verhandl. van'* TEYLERS *Godgel. Gen.* Tom. *XXVII.* p. 70 sqq.

(**) *Critica Sacra V. T.* p. 867, 868.

(†) *Anmerkungen für Ungelehrte zu seiner Übersetzung des N. T.* ad h. l.

(§) *Exercitation. ad S. S. Interpret.* p. 139.

LUS. Deinde nullus nobis succurrit locus, in quo scriptores sacri his vel hujusmodi vocabulis ad doctorem aliquem divinum, vel Dei Filium denotandum utantur. Neque huc vocandum est PAULI dictum 1 *Cor. I* : 24: (Ἡμεῖς δὲ κηρύσσομεν) Χριςὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν. Ibi enim non CHRISTI, quam dicunt, persona, sed crux ejus i. e. mors, quam in cruce subiit, (Χριστὸς ἐσταυρωμένος) *sapientia Dei* appellatur. Haec Apostoli mens est: *In eo, quod* CHRISTUS *in cruce mortuus est, sapientiam suam Deus adspectabilem facit.* Cff. CHRYSOST., GROT., aliique interpretes. Spretâ igitur et hac sententiâ putamus, *ipsum Deum, Sapientiae Suae causâ*, a JESU titulum τῆς σοφίας accepisse. Nempe certissime constat, scriptores Hebraeorum, uti ceteras Dei virtutes, sic ejus quoque *sapientiam*, per προσωποποιΐαν, celebrasse, ut Hunc Ipsum *sapientissimum* esse dicerent. Vide *Prov. VIII* : 23 sqq. *Sap. Salom. IX* : 1 sqq. *Sirach. I* : 1 sqq. IV : 11 — 19. *XXIV* : 1 sqq. et cf. MUNTINGHIUS (*) ad *Prov.* l. c. Hanc autem dicendi rationem scriptoribus N. T. haud inusitatam fuisse ex *Apoc. V* : 12. *VII* : 12 aliisque locis colligimus. Et ipse JESUS hoc nobis voluisse videtur, cum dicebat *Matth XI* : 19: καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Quae verba sic interpretamur: *Et in utroque tamen, me et* JOANNE, *sapientia Dei se cultoribus suis compro*-*ba*-

(*) *De Spreuken van Salomo uit het Hebreeuwsch vertaald met aanmerkingen.*

bavit: nam et in Joannis disciplinam se illi tradiderunt, et meam doctrinam animo suo amplectuntur. Cf. *Luc. VII*: 35. Atque haec interpretatio non solum orationi contextae egregie accommodata est, sed ab ipso etiam JESU, si mentem ejus bene intelligimus, tanquam digito monstrata *Luc. VII*: 29: Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. Cff. *Matth. XI*: 25-27. *Luc. X*: 21, 22 (*). Qui autem JESUM se et hoc loco τὴν σοφίαν dicere arbitrantur; eum hac in sententia unius tantum propositionis antecedentis: Ἦλθεν ὁ υἱὸς — ἁμαρτωλῶν, rationem habentem faciunt, non alterius: Ἦλθε γὰρ Ἰωάννης — ἔχει; quamquam haec pariter sibi postulat atque illa, quo ἀντίθεσις inchoata absolvatur. Sed quomodocunque hoc dictum JESU exponi debet; in ceteris locis, a nobis allatis, satis certum nos invenisse putamus praesidium, quo interpretationem nostram vocabulorum ἡ σοφία tueamur.

Itaque nulli dubitamus, quin verba JESU: Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω sic explicanda sint: *Propterea dicit sapientia Dei, (vel Deus sapientissimus) ecce! ego mittam* (**). Quae sententia quam apte cohaereat cum oratione, et praecedente,

(*) Legantur quoque GROT. ad h. l. et STORR. l. c. vol. I. p. 242.

(**) Verbum *praesens* ἀποστέλλω pro futuro ἀποστελῶ, quod interpretandi causa habet LUCAS, vatum Hebraeorum more usitatum esse, nemo negabit. Sed hac temporum permutatione, quae in V. T., ubi ipse Deus loquens inducitur, mul-

te, et sequente, nunc restat, ut breviter ostendamus. A praecedente igitur oratione, in qua vitiosa Judaeorum indoles exagitatur, JESUS commode ad cladem iis funestissimam, si unus forte et alter sero sapere vellet, ipsius Dei voce minitandam transgreditur. Vocibus enim διὰ τοῦτο si cogitando subjicitur λέγει ὁ Θεὸς, dictio JESU verss. 34 et 35 huc redit: *Quoniam sic comparati estis, Deus declarat, fore, ut ipse vobis viros mittat sapientissimos verique et honesti studiosissimos; vos vero alios eorum aliis injuriis malisque afficientes, diem vobis fatalem contrahatis.* Quae mentis JESU explicatio, ut orationi praecedenti gravitatem addit haud contemnendam, sic lucem affert iis, quae leguntur vers. 36, ubi ille ait, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὅτι (*) ἥξει ταῦτα πάντα ἐπὶ τὴν γενεὰν ταύτην. His enim utens verbis, et se satis clare ab oratore, qui modo locutus est, distinguit, et quae ille, sive definito tempore, seu non definito, quod nunc non quaerimus, genti Israeliticae comminatus est, ad aequales suos convertit. Eadem plane agit, cum dicit apud LUCAM vers. 51: Ναὶ λέγω ὑμῖν· ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.

Quae cum ita sint, haud leviter conjicit PAULUS l. c., JESUM ex libro vatis alicujus antiqui, tunc superstite, nunc vero deperdito, hanc sen-
ten-

to frequentior quam in orationibus JESU est, nostra confirmatur interpretatio.

(*) Vox ὅτι Editioni vulgo receptae sine dubio addenda est.

tentiam mutuatum esse. Haec autem si vera est conjectura, cum eodem interprete in sententiae vetustate causam nobis reperire videmur, cur postremus virorum sanctissimorum, quos indomita gens victimarum more tractasset, dici potuerit ZACHARIAS ille, cujus caedes 2 *Chron. XXIV*: 20 sqq. nobis traditur. Cadit igitur, quod monuere viri docti (*), JESUM, si hunc ZACHARIAM vatum divinorum, qui crudeliter trucidati essent, dixisset ultimum, ab historiae testimoniis aberraturum fuisse: siquidem plures postea vitam piam et innocentem violentâ morte finiverint. Et sane nec vatem illum, cujus oracula in V. T. tabulis inter HAGGAEI et MALACHIAE libros collocata sunt, nec JOANNIS *Baptistae* patrem, neque alium quempiam, qui ante JESU tempora vixisset, ab eo ZACHARIAE nomine laudatum esse, recentiores fere inter se consentiunt interpretes (**). Qui vero praedictum esse putant, quod ZACHARIAE, BARUCHI filio, paulo ante Hierosolymorum excidium accidisse narrat JOSEPHUS de *Bell. Jud.* Lib. IV. cap. 6, tum in verbis praeteriti temporis ἐφονεύσατε et ἀπολομένου explicandis valde haerent, tum aliis in difficultatibus mirifice se

(*) Ita post multos alios AMMONIUS in *Nov. Opusc. Theol.* p. 109, 110 et HUGIUS *Einleitung in die schriften des N. T.* Tom. II. p. 10 - 12. Ed. 2.

(**) Vide WOLFIUM in *Cur. Philol. et crit.* et KOECHERUM in *Analect. Philol. et Exeg.* ad h. l. quibus addatur THIESZ *Neuer Kritischer Kommentar über das* N. T. Tom. I. p. 290 sqq.

se contorquent (*). Omnibus diligenter excussis una nobis restare videtur sententia vulgaris, JESUM de nullo alio ZACHARIA locutum esse, quam qui ab auctore libri *Chronicorum* memoratur. Quid vero? Huncne virum cum GROTIO aliisque binominem fuisse dicemus, ita ut recte et JOJADAE et BARACHIAE filius appellatus sit? Aut CAPPELLI adsentiemur judicio in *Comm.* ad h. l., MATTHAEUM, cum Βαραχίου scriberet, lapsum esse memoriâ? Aut concedemus SIMONI (**), errorem aliunde ortum et ex *Naziraeorum* corrigendum esse *Euangelio*, in quo HIERONYMUS *Comm.* in *Matth.* ad h. l. se pro filio BARACHIAE *filium* JOJADAE reperisse testatus est? Aut denique cum EICHHORNIO (†) censebimus, MATTHAEUM, qui commentarium de vitâ JESU sermone *Aramaeo* scriberet, ZACHARIAM quidem dixisse *filium* JOJADAE, sed *interpretationis Graecae*, quâ nunc utamur, auctorem, anno a natalibus CHRISTI sep-

(*) Cff. quae diximus in *Bijdragen tot de beoefen. en geschied. der Godg. Wetenschappen.* Vol. I. p. 132 sqq. nec non GRATZ *krit-histor. Komment. über das Euang. des Matth.* ad h. l. Conjecturam MICHAËLIS, MATTHAEUM quidem culpâ absolvendum, sed pro falso habendum esse, quod 2 *Chron. XXIV* de trucidato ZACHARIA legitur, quippe leviorem, praetermisimus silentio. Vide ejus *Comm.* l. nec non *Bijvoegsels en Verbeteringen tot het II. D. van de Inleid. in de Godl. Schriften van het N. V.* p. 65.

(**) *Histoire critique du Texte du N. T.* p. 84, 85.

(†) *Einleitung in das N. T.* Vol. I. p. 510 sqq. Quocum consentiunt BERTHOLDT *Historisch-Kritische Einleitung in Sämmtliche Kanon. und Apocryph. Schriften des A. und N. T.* Vol. III. p. 1267 sqq. et censor in GABLERI *Journal für auserles. Theol. Literatur.* Vol. III. p. 105 sqq.

septuagesimo jam impleto scribentem, cum BARUCHI *filium* a Judaeis paulo ante medio in templo interfectum esse meminisset, hoc nomen pro genuino nomine substituisse? Mihi probabilior videtur sententia virorum doctorum (*), quibus et PALMIUS noster nuper admodum calculum suum adjecit, verba *υἱοῦ* Βαραχίου a librariis profecta et ex MATTHAEI oratione ejicienda esse. Quod tamen cum mihi non omnino satisfaceret, suspicio mihi injecta est, num forte ZACHARIAS patrem habuisset BARACHIAM, avum JOJADAM; ita ut Vates antiquus ejusque aequalis, cujus verbis JESUS usus est, patris nomen annotasset; auctor vero libri *Chronicorum*, diu postea scribens, hoc nomine obscuriore praetermisso, laudasset avum, quippe cujus beneficiorum multiplicium rex JOAS se plane gessisset immemorem. Neque abhorret ab Hebraeorum more aliquem, patris nomine, si minus clarum est, praetermisso, *filium filiam*ve *avi* dicere. *Genes. XXIV*:48 ELEËZER auditoribus suis gratum facere volens, REBECCAM non BETHUELIS filiam appellavit, sed *fratris* ABRAHAMI i. e. NAHORIS, cujus *neptis* erat. 2 *Sam. XIX*: 24 MEPHIBOSETH, SAULI regis ex JONATHANE *nepos*, fortasse, ut qualem se quantumque in fugâ DAVIDIS lugendâ prae-

(*) Ita VENEMA *Hist. Eccles.* Vol. II. p. 140. WASSENBERGH *Dissert. de Gloss. N. T.* praemissa *Selectis e Schol.* VALCKENAER. Tom. I. p. 33. MUNTINGHE *Geschied. der Menschh. naar den Bijbel.* Tom. VII. Annot. p. 24 aliique.

praestitisset, magis incurreret in oculos, ejusdem vocatur *filius*. Illustre inprimis exemplum nobis praebetur *Esr. V*: 1 et *VI*: 14, ubi ZACHARIAS ille, qui post tempora captivitatis Babylonicae inter Judaeos vaticinatus est, non *patris* sui, itidem BARACHIAE, *filius* dicitur, sed *avi* sui IDDONIS. Hujus autem appellationis causam positam fuisse in nominis aviti claritate, colligimus tum ex eo, quod ibi vatis HAGGAEI nec pater, neque avus memoratur; tum quoque ex collato *Zachar. I*: 1 cum introitu ceterorum librorum V. T., qui a *Prophetis* titulum ferunt. Cum enim his in libris nominis illorum memoretur avus, excepto uno ZEPHANJA, cujus genus a stirpe deducitur regiâ; ZACHARIAS vero *filius* appelletur BARACHIAE, *filii* IDDONIS; quid, quaeso, magis verisimile est, quam hunc virum prae ceteris adeo eminuisse, ut nomen ejus ad posteritatem perferri mereretur? Jam vero si nemo ESRAM, re ita comparatâ, fraudis aut negligentiae accusabit, quod ZACHARIAE patrem BARACHIAM, minus celebrem, silentio praetermisit; cur tandem ita judicare verebimur, eodem plane modo egisse auctorem libri *Chronicorum*? Equidem si provectam, quâ mortuus JOJADA est, aetatem (*) mecum reputo, lubentius crediderim, ZACHARIAM, quem in vaticinandi munere successorem habuit, *nepotem* ejus fuisse, quam *filium*. Et fallor, aut insigne conjecturae meae praesidium reperio in vers. 25, ubi

(*) Annos natus *centum triginta*. Vid. 2 *Chron. XXIV*: 15.

ubi primores populi inter se contra regem conjurasse dicuntur בִּדְמֵי בְּנֵי יְהוֹיָדָע i. e. *propter caedem filiorum* JOJADAE. Videlicet nisi sumere velis, pluralem numerum singularis locum temere sustinere; censendum est, vel plures unâ periisse filios JOJADAE, vel hîc quoque *filiorum* appellationi hanc ampliorem tribuendam esse notionem, ut et clarum JOJADAE nepotem ZACHARIAM designet, et filium ejus minus clarum BARACHIAM. Argumentatio autem adhuc proposita, num, uti speramus, tantum valeat, ut hoc illi praeferendum sit, quis aegre feret, me virorum doctorum judicio relinquere?

Luc. XXII : 31, 32.

Σίμων, Σίμων, ἰδοὺ, ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον· Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.

Hanc JESU orationem ut bene intelligamus, inprimis notio verborum *καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας* accurate definienda est. Interpres *Syrus*, Participio in Imperativum mutato, scripsit ܘܐܦ ܐܢܬ ܙܒܢܝܢ ܐܬܦܢܝ i. e. *Et tu quoque te in tempore converte.* WETSTENIUS (*) his verbis officium, erga alios praestandum, PETRO imponi putans, Participium illud explicavit: *convertens fratres tuos.* Cum utroque autem plerique Interpretes de eo consenserunt, JESUM de *mentis vitaeque emendatione* locutum esse: quod quoque LUTHERO, CALVINO aliisque et sacrorum placuit reformatoribus, et *versionum*, quae dicuntur, popularium con-

(*) in *Nov. Test. Graec.* ad h. l., ubi tamen mentem suam minus declarat dicendo, se hoc Participium *active* sumere. Hoc idem enim faciunt omnes, quotquot *convertendi* tenent notionem: siquidem voci *ἐπιστρέψας* cogitando adjiciunt *σεαυτόν*. Cf. HOOGEVEN. ad VIGERUM *de Praecip. Graec. Dict. Idiotismis* p. 184, 185 ed. HERMANN. Ceterum WETSTENIUM in eo jam praecesserunt KNATCHBULLUS, aliique. Cff. WOLFIUS et KOECHERUS ad h. l.

conditoribus (*). Attamen jam seculo VIII. BEDA in *Comm.* ad h. l. LUCAM ex Hebraeorum more scripsisse censuit ἐπιστρέψας, ut vim Adverbii Latini *rursus* vel *vicissim* exprimeret. Hujus vero auctoritatem, quamvis interpres pro istis temporibus haud spernendus erat, non tantam fuisse apparet, ut interpretatio ejus pro tritâ et vulgari substitueretur. Primus, quantum novimus, viam, a BEDA monstratam, ingressus est MALDONATUS, vir egregie doctus. Sed cum se MALDONATO acriter opposuisset magni nominis vir, IS. CASAUBONUS, (**) quis miretur, vocem ejus parum auditam esse? Et *Protestantium* maxime aures a se avertit, ita disputando, ut, pro calliditate sectatorum IGNATII *Lojolensis*, mentem JESU depravare videretur, ne quis doctorem divinum hac in oratione ad imminens PETRO perfidiae crimen respexisse judicaret. Unus GROTIUS, ut antiquus et simplex erat homo, qui, quod pro vero habendum esse censeret, sine partium studio sequeretur, hoc quoque in loco, probandâ lectoribusque suis commendandâ MALDONATI sententiâ, nominis sui famam tuitus est. Sed an incredibile est, multorum animis altius inhaesisse suspicionem, quam quae tolleretur a GROTIO? Nonnulli certe viri, laudis haud expertes, hanc interpretationem, ac si anguis aliquis in herbâ lateret, strenue refellere conati sunt (†).

Quam-

(*) Exempla praebet HOMBERGK in *Parergis Sacr.* ad h. l.

(**) in *Exercitat. ad Annal.* BARON. *Exercit. XVI* pag. m. 520.

(†) Legatur WOLF. ad h. l.

Quamvis autem alii, praesertim recentiore memoriâ, probe intelligebant, nihil mali hinc verae CHRISTI doctrinae metuendum esse; plerosque tamen interpretes, dicere non ausim, utrum ab illâ sententiâ ex loquendi usu ponderandâ levitatis absterruerit nota, ei a magnis viris impressa, an ab eâ probandâ cohibuerit aestimatio minus accurate facta. Paucos utique fuisse reperimus, qui GROTII vestigiis instarent (*). Ceteri, quorum libros nobis inspicere contigit, vel interpretationi ejus, breviter commemoratae, vulgarem praetulerunt (**), vel, in hac acquiescentes, silentio illam praeterierunt (†).

Quae cum animadvertissem, speravi fore, ut partibus hujus interpretationis in me suscipiendis lectori haud ingratum facerem. Neque est tamen, cur

(*) BENGELIUS in *Gnomone* p. 282. THALEMANN in *Versione Euangel. ed. a* TITTMANN. ad h. l. DOEDERLEIN *auserlesene Theol. Bibl.* Tom II. p. 111. BOLTEN *der Bericht des Lukas von Jesu dem Messia* cet. ad h. l. SCHOTT et KUINOEL ad h. l. ECKERMANN *Erklärung aller dunkeln Stellen* cet. ad h. l.

(**) ROSENMULLER in *Schol. in N. T.* ad h. l. THIESZ. l. c. p. 409. Quibus adde KOECHERUM l. c. Nuper admodum PALMIUS ad h. l. hanc interpretationem vulgari quidem postposuit, nec tamen prorsus improbasse videtur.

(†) Ita, ut nonnullos nominatim excitem, VAN HAMELSVELD *het N. T. vertaald* cet. VAN NUIJS KLINKENBERG *de Bijbel* cet. VAN VLOTEN *de Bijbel vertaald.* cet. ad h. l. HESSELINK *Uitlegk. Woordenboek des N. T. Voc. bekeeren.* PAULUS ad h. l. SCHLEUSNER l. c. v. ἐπιστρέφω. WAHL in *Clavi N. T. Philol.* ibid. KEIL *Element. Herm. N. T.* p. 69.

cur moram nobis interponat, aut interpretis *Syri* auctoritas, aut judicium WETSTENII: utrumque enim, satis constat, et orationem contextam minus consuluisse, et loquendi usum neglexisse. Sed haec agitur quaestio, utrum Participium ἐπιστρέψας exponi debeat *rursus* vel *vicissim*, an *ad meliorem mentem conversus?* Jam vero novimus quidem, verbo ἐπιστρέφω in N. T. libris frequenter *animi* vel *vitae emendationem* denotari; sed hoc ita est, ut plerumque sibi adjectam habeat formulam ἐπὶ τὸν Κύριον, vel ἐπὶ τὸν Θεὸν, vel aliam harum similem, rarissime verbo careat aut nomine, quo definiatur. Deinde haud scio, an his in libris illi tantum dicantur ἐπιστρέφειν, qui ad veram et divinam CHRISTI doctrinam recentes accedunt, nusquam vero homines ad doctrinam illam, postquam semel ab eâ discesserunt, denuo revertentes. Unde sequitur, praesidiis suis, nisi me fallat opinio, destitui viros doctos, qui, ut efficiant, Participium ἐπιστρέψας de PETRO *resipiscente* accipiendum esse, ad usitatam hujus verbi in literis sacris notionem provocare soleant. Nobis vero quam insigniter faveat loquendi usus, ex locuplete audiamus teste, GLASSIO, qui l. c. Tom. I. p. 274 diserte monet, verbum *revertendi* שׁוּב, quando de actione iteratâ, aut saepius repetitâ sermo est, ita cum alio verbo finito vel infinito conjungi solere, ut vim habeat Adverbii. Neque hoc temere a GLASSIO notatum esse, multa nos docuerunt sacrarum literarum loca, tum ab eodem aliisque viris egregiis congesta, tum aliunde nobis cognita. Duplicis

plicis generis exempla proponere lubet. Haud raro nempe in locis, ubi scriptores bene graeci uno utuntur Adverbio *πάλιν* vel simili, ab Hellenistis, quos vocant, Verbum finitum *ἐπιστρέφω* ita usurpatur, ut Verbum aliud sequatur, sive infinitum, seu finitum cum Conjunctione *καὶ*. *Esr. IX*: 14: Ἐπεστρέψαμεν διασκεδάσαι ἐντολάς σου. *Psalm. LXXVII*: 41: Ἐπέστρεψαν καὶ ἐπείρασαν τὸν Θεὸν. *Hos. II*: 9: Ἐπιστρέψω καὶ κομιοῦμαι τὸν σῖτόν μου. *Act. Apost. VII*: 42: Ἔστρεψε (*) ὁ Θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. *Testam. XII Patriarch.* apud. FABRIC. *Cod. Pseudepigr.* V. T. vol. I. p. 667: Μετὰ τὸ ὀλιγωθῆναι ὑμᾶς καὶ σμικρυνθῆναι, ἐπιστρέψετε καὶ ἐπιγνώσεσθε Κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν: quod exemplum prae ceteris memorabile est, quoniam verbis descriptis haec proxime succedunt: καὶ ἐπιστρέψει ὑμᾶς εἰς τὴν γῆν ὑμῶν. Sed omnia haec loca talia sunt, ut notio *redeundi*, nunc minus apta sit alterâ, quae cernitur in Adverbio *rursus*, vel *vicissim*; nunc prorsus ferri nequeat. Uti autem hinc jam elucet recte se habere, quod de verbo *ἐπιστρέφω* monuimus; sic argumentationis nostrae probitas inprimis confirmatur altero locorum genere, in quibus unum Participium *ἐπιστρέψας* Verbo alicui finito praepositum est. 1 *Reg. XIX*: 6. haec legimus: Ἀνέστη, καὶ ἔφαγε, καὶ ἔπιε, καὶ ἐπιστρέψας ἐκοιμήθη: quae cum de ELIA dicantur cu-

(*) Hunc locum, quamvis LUCAS *simplici* verbo *στρέφω* usus sit, non *composito* *ἐπιστρέφω*, eodem in ordine recensendum esse, nemo negabit.

cubante, postrema ἐπιστρέψας ἐκοιμήθη aliter interpretari non possumus, quam *rursus cubuit*. *Psalm. LXX*: 20 Poëta aït: Ὅσας ἔδειξάς μοι θλίψεις πολλὰς καὶ κακάς, καὶ ἐπιστρέψας ἐζωοποίησάς με, καὶ ἐκ τῶν ἀβύσσων τῆς γῆς πάλιν ἀνήγαγές με: ubi Participium ἐπιστρέψας cum Adverbio πάλιν permutari, post alios notavit KUINOEL ad h. l. Hinc autem apparet, sermonis Hebraei proprietatem, de qua loquimur, interpreti Graeco bene cognitam fuisse. Sed hoc alibi quoque interpretationis *Alex.* auctores satis aperte significarunt. Vide *Gen. XXVI*: 18. *XXX*: 31. *Jes. VI*: 13, ubi itidem pro verbo יָשׁוּב, quod in exemplo Hebraeo legitur, scripserunt πάλιν. Nonnunquam tamen hujus *Hebraismi* immemores fuerunt, uti *Num. XI*: 4, ubi haecce וַיָּשֻׁבוּ וַיִּבְכּוּ perperam interpretati sunt, verbum וַיָּשֻׁבוּ ad radicem יָשַׁב referentes. Verum, ut in viam redeamus, locis descriptis addi merentur *Psalmi* l. vers. 21: Ἐπλεόνασας τὴν δικαιοσύνην σου, καὶ ἐπιστρέψας παρεκάλεσάς με, καὶ ἐκ τῶν ἀβύσσων τῆς γῆς πάλιν ἀνήγαγές με, et *Psalm. LXXXIV*: 6: Ὁ Θεὸς, σὺ ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς. In quibus, uti satis exploratum est, Participio ἐπιστρέψας notionem Adverbii *rursus* tribuendam esse; sic nos a nemine vehementer reprehensum iri arbitramur, si eandem secuti erimus notionem in interpretandis PAULI verbis *Act. XV*: 36: Ἐπιστρέψαντες δὴ ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς κατηγγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ Κυρίου, πῶς ἔχουσι: ubi ipse PALMIUS nobis hujus explicationis dux est. Quid plura? per-

persuasum nobis habemus, si vel locorum, quos attulimus, nonnulla aliter exponi possint, ex ceteris tamen satis superque manifestum esse, *Hellenistas* Verbum ἐπιστρέφω ejusque Participium pro Adverbio commemorato usurpasse. Quod qui nobis concedit, hoc quoque concedere debet, loquendi usum a nobis observari, cum formulam: καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας exponamus: *Et tu aliquando rursus.* Ceterum conferri possunt VORSTIUS *de Hebraismis N. T.* Part. II. p. 162 et HAAB *Hebräisch-Griechische Grammatik.* p. 218 sqq.

Disquirendum nunc est, an loci, in quo versamur, argumentum tale sit, ut hanc nobis suadeat interpretationem. Nimirum renovatâ denuo a discipulis JESU quaestione, quis eorum ceteros in *Messiae* regno gloriâ ac dignitate superaturus esset, sapientissimus magister disceptantes a vers. 25 sic interpellat, ut levitati eorum, et castigatione severâ tanquam injiciat frenum, et simul tamen, spe iis bonorum splendidissimorum faciendâ, succurrat. Mox faciem ad PETRUM convertens, hanc vocem edit tristissimam: Σίμων, Σίμων, ἰδοὺ, ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον: quam sententiam explicare incipiamus a verbo σινιάσαι. Satis quidem hoc de verbo, quamvis nusquam alibi reperitur, viri docti inter se consentiunt, notionem ei *cribrandi* tribuendam esse; sed cum notio illa in *frumentum* quadret, non in *Apostolos* JESU, jure suo quaerunt, quomodo ea ad hos transferenda sit. Et quaestio maxime haec est,

con-

concutiendi an *excutiendi* verbum cum doctoris divini mente conveniat. Hoc autem qui volunt, haud raro fieri dicunt, ut inter quassandum unâ cum paleis grana nonnulla cribro excidant, vel ut repetito opere per foramina cernantur, quae antea pro farinâ habita sunt (*). Verum ut hoc utrumque lubenter concedimus; ita nobis persuasum est, qui figuratâ eâdemque perspicuâ oratione uti velit, imaginem non repetere ab eo, quod rem aliquam haud raro fortunae casu hominumve imprudentiâ comitetur (**), sed ab eo, quod cum re illâ vulgo conjunctum sit. Quod cum hîc non in *excutiendo* cernatur, sed in *concutiendo*; haec notio nobis alteri omnino praeferenda videtur. Atque huic interpretationi auctoritas haud spernenda accedit ex testimoniis veterum. HESYCHIUS propriam et translatam verbi notionem sic apposuit: *Σινιάσαι· σεῖσαι, κοσκινεῦσαι.* CHRYSOST. *in Orat. ad Matth. XXVI*: 26 sqq. verbum *σινιάσαι* ita interpretatus est: *τουτέστι θορυβῆσαι, ταράξαι καὶ πειράσαι.* Ex utroque loco conflata est *Glossa* SUIDAE: *Σινιάσαι· σεῖσαι, κοσκινῆσαι, θορυβῆσαι, ταράξαι, πειράσαι* (†). Quae

(*) Cff. praeter alios PAULSEN *Zuverlässige Nachrichten vom Ackerbau der Morgenländer*. p. 145. et qui laudantur plures a KOECHER. ad h. l.

(**) Hanc insolentiam oratori quidem vel scriptori permitti, si ejus usum expressis verbis declaret, non negamus; sed hujusmodi declarationis vestigium ne levissimum quidem in oratione JESU est.

(†) Nonnulla quidem SUIDAS his adjecit, quibus sibi contradixisse videatur. Sed multo magis ea ad sensum orationis JESU explicandum spectant, quam ad notionem verbi *σινιάσαι* definiendam.

Quae talia sunt, ut unam *concutiendi* notionem verbo *σινιάσαι* vindicent. Similia habent *Scholiastae* apud MATTHAEUM in *Ed. N. T.* THEOPHYL. in *Comm.* ad h. l. aliique. Sed describere haud superfluum erit, quod ad h. l. notavit EUTHYMIUS: *Σινιάσαι δὲ, ἀντὶ τοῦ, θορυβῆσαι, κυκῆσαι, ταράξαι· σίνιον γὰρ παρά τισι καλεῖται τὸ παρ' ἡμῖν κόσκινον, ἐν ᾧ ὁ σῖτος τῇδε κἀκεῖσε μεταφερόμενος ταράσσεται.* In literis sacris unum tantum reperimus locum, a GROTIO nobis commonstratum, quo verbum *σινιάσαι* illustrari possit, nempe *Amos. IX:* 9. Verum hunc quoque interpretationi favere, a nobis propositae, quis infitiabitur? Ait ibi Deus: *Ecce enim jussu meo concutient gentem Israëliticam, ut dissipetur per omnes populos: quemadmodum in cribro concutitur farina; ita ut ne lapillus excidere soleat.* Cf. ROSENM. ad h. l. Itaque non solum *concutiendi* notio, quam *vulgatus* quoque int. *Lat.* expressit, cum *cribrando* hac in sententiâ conjungitur; sed, quod amplius, frumentum sic in cribro concuti dicitur, *ut nihil plane ex eo excidat.* Et ne quis ab interprete *Alex.*, qui verbo *λικμάω* pro *σινιάζω* usus est, in opinionem inducatur, aliud quid nobis ab AMOSO tradi quam a LUCA; animadvertendum est, et AQUILAM unâ cum SYMMACHO pro eo posuisse *κοσκινίζω*, quod plane idem ac *σινιάζω* denotare vidimus, et *Syrum* atque *Arabem* verba ܢܘܦ et غَرْبَل, ad interpretandam tam vatis antiqui mentem, quam JESU orationem usurpasse.

Quae omnia nobis persuadent, institutum hic esse sermonem de *discipulis tritici instar concutiendis, perturbandis, ad perfidiam sollicitandis.* Ceterum de verbo σινιάζω disputatio scripta est ab HARENBERGIO, et inserta *Biblioth. Brem.* Class. VIII. Fasc. 3. p. 414 sqq., quae tamen huic quaestioni haud multum affert lucis. Sed praeter alios conferri meretur CAMERON in *Comm.* ad h. l.

Sequitur explicatio verbi ἐξῃτήσατο, eaque multo facilior. Nam sive huic verbo solam tribuimus *expostulandi* notionem, seu notionem *impetrandi* ei insuper subjicimus, oratio JESU rectissime procedit. Utramque autem interpretationem loquendi fert usus, uti docebunt veterum scriptorum loca, quae ad h. l. contulerunt WETSTENIUS aliique. Verumtamen duplex causa est, cur cum BEAUSOBRIO (*) aliisque hanc illi praeferendam censeamus. Altera cernitur in rei naturâ, de quâ loquitur JESUS, in *perturbatione* nempe et sollicitatione discipulorum ad perfidiam: quae, cum eventum habuerit, hic aeque atque alibi ab eo praenunciata esse videtur. Alteram nobis praebet comparatio locorum similium, ubi dicuntur illi hanc animi perturbationem subituri, *Matth. XXVI:* 31. *Marc. XIV:* 27. Prae ceteris notanda sunt verba JESU *Joann. XVI:* 32: Ἰδοὺ, ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν, ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια, καὶ ἐμὲ μόνον ἀφῆτε, quae nos, nisi fallimur, tanquam ma-

nu

(*) *Remarques Historiq. Crit. et Philol. sur le N. T.* ad h. l.

nu ducunt ad sententiam: ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον sic exponendam: *Geniorum malorum dux ille et princeps postulando sibi impetravit, ut, quemadmodum triticum in cribro, ita vos concuteret ac perturbaret* (*). Figurâ dicendi orationi ablatâ, huc redibit sententiae caput: *Vehementer Satana auctore perturbabimini:* quam cur involverit JESUS imagini, bene ostenderunt interpretes, monentes, eum ad Historiam JOBI respexisse.

Una hoc in versu nobis attingenda restat numerorum permutatio, quae non solum THIESZIUM ad h. l. sine causâ fatigavit, sed VALCKENAERIO etiam adeo offensioni fuit, ut in *Adnot. Crit. in loca quaedam libr. s. N. T.* p. 368 pluralem ὑμᾶς singulari σέ corrigendum esse conjiceret. Postea tamen vir summus animadvertisse videtur, qui hac de re laboraret, nodum, ut ajunt, in scirpo quaerere, ideoque in *Scholis* suis conjecturam silentio praeteriisse. Haud semel JESUS in *Euangelistarum* commentariis, cum uno praecipue homine sermonem habens, numero plurali utitur. Vide *Joann.* I. 52. III. 11. IV. 48, ubi verba: Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε, collatis verss.

(*) *Satanam* quidem nonnulli hoc loco expellere conati sunt, sed interpretatione tam contortâ, ut vix refelli mereretur. Cf. KUINOEL ad. h. l. de Pronomine autem τοῦ, hic redundante, docte suo more commentatus est GERSDORF l. c. pag. 125 sqq. Cf. et HEINSIUS *Exercitat. Sacr. in N. T.* ad h. l.

verss. 43. sqq., sic explicanda puto: *Miraculorum spe et exspectatione, et tu nominatim, et vos, Galilaei! ad me concurritis: ceterum nullam in me collocatis fidem* (*). Similiter CICERO *de Clar. Orat.* cap. 3, quamvis et BRUTUM et ATTICUM alloquitur, „Vos vero", inquit, „ATTICE! „ et praesentem me curâ levatis, et absenti magna „ solatia dedistis." Sed cur e longinquo requiram, quod tanquam pedibus adjacet? Narrat nobis MATTH. cap. *XXVI*: 40. JESUM in horto *Getsemanitico*, postquam semel Deum patrem precatus esset, ad discipulos rediisse, et dixisse τῷ Πέτρῳ: οὕτως οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ κ. τ. λ. Quâ interrogatione cum *inprimis* PETRUM spectaret JESUS, MARC. cap. *XIV*: 37 eum numero singulari utentem facit.

Hisce disputandis, ut versui 31 nonnihil lucis nobis attulisse videmur, sic interpretationis Participii ἐπιστρέψας, a nobis propositae, defensionem praeparavimus. Nunc ulterius progrediamur. Orationem suam vers. 32 sic persequitur JESUS: Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου: quam vo-

(*) Hanc mentem JESU nuperrime quoque tribuisse videtur PALMIUS ad h. l. Nec longe aliter SCHOTT. in *Opusc. Exeget. Crit.* et *Dogmat.* Tom. I. p. 289 et LÜCKE *Comment. ueber die Schriften des Euangel. Joh.* Tom. I. p. 668 sqq. qui tamen *Galilaeos* nunc JESU non adfuisse censet. Ingeniosa conjectura MICHAËLIS ad h. l., reprehendi, qui JESUM miracula patrare posse non crederent, nisi ea adspicerent oculis, majori se probabilitate commendaret, si scripsisset JOANNES τὰ σημεῖα καὶ τέρατα.

vocem non exhortantis, multo minus comminantis, sed *consolantis* esse, mihi certe persuasum est. Nimirum Satanae discipulorum adversario, quem, ad JOBI historiam, pro Dei tribunali contra eos prodiisse finxit, se nunc ipse opponit patronum eorum proque malo deprecatorem. Si autem verbum ἐξῃτήσατο, quemadmodum ostendimus, significat *postulando sibi impetravit;* verbum ἐδεήθην aliter interpretari non possumus, quam *precando feci:* quo dicto necesse est, auditorum animum erectum fuisse. Et JESUM de frustrato spe suâ Satana locutum esse, *adversativa* confirmat Particula δὲ, ἀντίθεσιν hic reperiri indicans. Sine scrupulo igitur dictum ejus sic explicamus: *At ne vel tu*, PETRE! *animum despondeas. Hoc enim ego precando feci, ne fide tuâ in me collocatâ dejicereris:* brevius: *at vel sic tamen me auctore fides tua salva erit.* Si autem quis rogat, cur omnium discipulorum Servator hanc uni PETRO consolationem adhibuerit, revocet, quaeso, in memoriam, quantum humani ille in aulâ passus sit Pontificis. Sed quamquam ter magistrum suum agnoscere recusabat, hunc tamen ex animo non rejecit. Peccati enim a PETRO commissi causa non posita erat in deliberato mentis perfidiosae consilio, sed in metu hominum et poenarum formidine: quod testantur lacrymae, post lapsum ab eo largiter effusae, et quae porro in Commentariis suis Euangelistae ad laudem ejus tradiderunt. Cff. GROT. et MICHAËLIS ad h. l. Quare non necesse est, a vulgari notione verbi ἐκλείπω cum ROSENM. aliisque decedere, JESUMque de fi-

de a PETRO *non omnino* deserenda dicentem facere.

Haud procul sumus a conclusione. Si adhuc disputata se recte habent, autumare haud veremur, neque *animi mutandi*, vel *in fidem redeundi* notionem hunc in locum quadrare; neque igitur Participium ἐπιστρέψας exponi posse *ad meliorem mentem conversus.* Quid enim magis absonum est, quam spem alicui facere, fore, ut ex praesenti fidei frangendae periculo salvus evadat; tum vero eundem de officio in fidem redeundi, seu, quod eodem redit, mentis emendandae admonere? Admonitio talis nonne tum demum suo stat loco, cum haec sententia: *Pro te deprecatus sum, quoniam de fide datâ decides*, similisve aliqua praecessit? Promissioni vero, quam hîc reperimus: *Id ego precando feci, ne tu fide caderes*, nemo facile negabit, aptissime hoc adjici praeceptum: *Et tu rursus fratres tuos* (i. e. Apostolos) *suo tempore in fide confirmato*, vel breviter: *me imitare.* Hoc autem praeceptum dictioni, deleto *commate* sic scribendae: Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου sine dubio inesse, elucebit, si animadverteris, verbum στηρίζω, ubi in N. T. libris, nullo ei adjecto nomine, de mente humanâ dicatur, pro στηρίζω ἐν τῇ πίστει usurpari. Vide *Rom. I*: 11. *XVI*: 25. *Jac. V*: 8. 1 *Pet. V*: 10. *Apoc. III*: 2. Quare 2 *Pet. I*: 12 sectatores CHRISTI ἐστηριγμένους esse legimus ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ, et 1 *Thess. III* 2 dictio εἰς τὸ στηρίξαι ὑμᾶς proxime sequenti καὶ παρακαλέσαι

σαι ὑμᾶς περὶ (*) *τῆς πίστεως ὑμῶν* explicatur. Praetermittenda quoque non sunt verba LUCAE *Act. XIV*: 22, ubi unâ eâdemque orationis serie PAULUS et BARNABAS dicuntur *ἐπιστηρίζοντες τὰς ψυχὰς τῶν μαθητῶν* et *παρακαλοῦντες ἐμμένειν τῇ πίστει*. Sed longâ disputatione non opus est: siquidem paucos esse vidimus, qui hac de re a nobis dissentirent, aut vel WHISTONO (**) crederent, satis inepte interpretanti: *Quando tu conversus es, converte quoque fratres tuos*. Neque hac similive interpretatione loquendi tantum negligitur usus, sed suâ etiam elegantiâ oratio privatur. Haec vero salva stat et illibata, si JESUS, ut nostra fert sententia, mandaturus PETRO, ut suâ vice fratres suos *confirmet*, ante ei praenunciat, ipsum illum *loco suo non expulsum iri*. Atque hac consolatione ut discipuli animum pro benignitate suâ erexit; sic mandato illo sapienter cavit, ne spe sibi factâ ad semet ignaviae et sopori dedendum abuteretur.

(*) Secutus sum *Edit. vulg.* Si quis tamen fidem habendam esse putat libris, qui pro *περὶ* substituunt *ὑπὲρ*, per me licet. Sed Pronomen *ὑμᾶς* retinendum videtur.

(**) *Primitive New T.* ad h. l.

Joann. XIV: 16.

Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν.

Quamquam huic loco a parte Grammatices nulla inest difficultas, vehementer tamen interpretes exercuit ambiguitas vocis *παράκλητος*, qua *Spiritus Sanctus* a JESU dicitur. Nonnulli duas pluresve notiones huic voci tribuerunt: quo nomine reprehendendus est CAMERON, qui *Spiritum* illum, et *doctoris*, et *consolatoris* titulo insignitum esse putavit. Alii sibi minus constiterunt, vocabulum *παράκλητος* nunc hoc, nunc alio modo interpretantes. Quod accidisse etiam vidimus LUTHERO, CALVINO, MUSCULO aliisque, quos excitat SUICERUS in *Thesaur. Eccles.* ad h. v. Fuerunt et haud pauci, qui huic orationi sensum affingerent, quem nunc uno ore omnes, quotquot bene judicandi facultate pollent, ab ea alienum et falsum esse inter se consentiunt: JESUM nempe de discipulorum suorum *deprecatore apud Deum vel apud homines* locutum esse. Multos inprimis dico antiquos Ecclesiae Latinae scriptores, qui nomen Graecum vertendo reddentes *advocatum*, non adjutorem qualemcunque et amicum, sed, ex aetatis suae more, *causae patronum* significarunt (*). Quo et HESYCHII spectare Glossam:

(*) Vide TERTULLIAN. *De Monogam.* cap. 3 et *de Jejunio adv. Psych.* cap. 13. HILARIUM *de Trinitate* Lib. VIII. cap. 19. AUGUSTIN. in *Comm.* ad h. l. Idem voluere *Cleri Romani* coni

sam: Παράκλητον· Πνεῦμα λέγεται, ὡς τὰς παρακλήσεις τῶν ὅλων δεχόμενον, jam notavit SUICERUS. Atque ita quoque praeter alios scriptores, oratione Graecâ utentes, vocem παράκλητος acceperunt auctores *Epistolae*, ab EUSEBIO *Hist. Eccles.* Lib. V. cap. 1 nobis traditae. VETTIO enim EPAGATHO, qui sectatores CHRISTI pro Praesidis tribunali *defendere* voluisset, nec tamen, prae hujus judicis iniquitate et circumstantium clamore, aliud, quam se Christianum esse, eloqui potuisset, hoc viro igitur cum ZACHARIA, JOANNIS *Baptistae* patre, comparato, sic scribere pergunt: Ἀνελήφθη καὶ αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων· παράκλητος Χριστιανῶν χρηματίσας, ἔχων δὲ τὸν παράκλητον ἐν ἑαυτῷ, τὸ Πνεῦμα πλεῖον τοῦ Ζαχαρίου· ὃ διὰ τοῦ πληρώματος τῆς ἀγάπης ἐνεδείξατο, εὐδοκήσας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἀπολογίας καὶ τὴν ἑαυτοῦ θεῖναι ψυχήν. Cf. VALES. ad h. l. Sed quamquam haec interpretatio patrocinie quoque usa est DRUSII, GROTII, aliorumque magnorum virorum; nemo tamen hac aetate dissentiet a TITTMANNO (*), monente, „ eam neque usui loquendi, neque con-„ textui et menti Domini neque etiam rei ipsi con-„ venire." Silentio praetermittimus sententias, quae nulli fere alii placuere, quam auctoribus, et jam

in *Epist.* suâ, cum *Epistolis* CYPRIANI editâ Ep. XXXI. p. 44. BALUZ. ubi scribebant: *Advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis et pudorem.* Cff. KNAPPII liber infra laudandus p. 140, 144, 165 et WETSTEN. ad h. l.

(*) *Meletem. Sacr. in Euang.* JOANN. ad h. l.

jam dudum in oblivione jacuere. Triplex tantum hujus vocis interpretatio, ut recentiore memoriâ fautores suos habuit, sic nunc a nobis judicio subjicienda est: videlicet notionum *doctoris*, *adjutoris* et *consolatoris* quaenam ceteris praeferenda videatur.

THEODORUM jam *Mopsuestenum* voci παράκλητος *doctoris* notionem adscripsisse, notavit NOESSELTUS (*). Ceterum vero ante ERNESTI tempora admodum pauci fuerunt, quibus haec interpretatio placeret. At postquam hic vir praeclarus eam datâ operâ exornasset et commendasset (**), dici non potest, quanto favore et studio eam plerique interpretes acceperint (†). Sed magis eos movisse videtur viri gravissimi auctoritas, quam argumentorum pondus. Satis enim superque ostendit KNAPPIUS (§) hanc interpretationem ex oratione tantum contextâ petitam, neque ex loquendi usu probatam esse. Cui argumento fortasse addere licebit, discipulorum JESU animos nunc adeo pertur-

(*) *Tres Commentat. ad Histor. Eccles. pertinent.* p. 394.

(**) *Opusc. Philol. et Crit.* p. 214 sqq. *Neue Theol. Biblioth.* Vol. IV. p. 94, 95. alibi.

(†) Vide KOECHER, MICHAËLIS, SEILER *das Neue Test. übersetzt* cet., KLINKENB., HAMELSV., *van* VLOTEN ad h. l. NOESSELT l. c. et *Opusc. ad Interpr. Sacr. Script.* Fasc. I. p. 64. Fasc. II. p. 49. MOSCHE *Bijbelvriend.* Tom. I. p. 168 sqq. VOLLBORTH *Interpr. locorum Joh., in quibus Sp. S.* παράκλητος vocatur. Cf. DOEDERL. l. c. Tom. IV. p. 77, 78. Sunt tamen et in his, qui sibi haud omnino constent.

(§) Disput. *de Spirit. S. et* CHRISTO *Paracletis, inserta ipsius Opusc. Varii Argumenti.* Tom. I. pag. 125 sqq.

turbatos fuisse, ut multo plus quam *doctorem* desiderarent. Praeterimus quae pariter in ERNESTI et KNAPPII sententiam incurrunt, et infra a nobis dicentur. Et sane a longâ disputatione nos avocat cogitatio, de hujus sententiae levitate viris doctis hodie tam certo persuasum esse, ut nemo amplius, quantum scimus, ERNESTI partes sequatur.

Longe melior causa est, cujus defensionem KNAPPIUS in se suscepit, vocabulo παράκλητος notionem tribuens *adjutoris*. Haec enim interpretatio, ut convenit cum loquendi usu, qui in libris Graecorum scriptorum, praesertim Atticorum, cernitur; sic et huic postremae JESU orationi satis accommodata est: neque aliquid in se continet, quod aliis N. T. locis repugnet. Quare mirandum non est, multis eam interpretibus jam placuisse, KNAPPIO antiquioribus. Haud scio, an jam probata sit ab EUTHYMIO, cujus haec sunt verba: Ἄλλον δὲ παράκλητον, ὡς ἐμὲ, ἤτοι, παρχινέτην καὶ ἀλείπτην ἐν τοῖς ἄθλοις τῆς ἀρετῆς καὶ ψυχαγωγίαν ἐν ταῖς θλίψεσι καὶ ἀντίληψιν: quae ita corrigenda censuit MATTHAEUS, ut pro particulâ καὶ ante ψυχαγωγίαν poneretur πρὸς: sed si recte vidimus, interpretem *abstractis* ψυχαγωγίαν et ἀντίληψιν, aeque ac Paulum I *Cor. XII:* 28—30, pro *concretis* usum esse, nullâ emendatione opus est. Hoc luculenter apparet, in praecipuis παρακλήτου virtutibus ab EUTHYMIO collocari, quod certaminum, doctrinae Christianae causa gerendorum, *adju-*

ju-

jutor sit. Ex eorum tamen numero fuisse videtur, qui plus unâ notionem huic voci subjicerent. Num autem praeter hunc alii ante seculum XVI putaverint, JESUM hîc de *adjutore* locutum esse, minus certo constat. Sed postea VICTOR. STRIGELIUS (*), aliique huic sententiae calculum suum adjecerunt, *advocati* nomini significationem restituentes, quam CICERONIS aetate habuerat (**). Quantum autem nostrâ aetate KNAPPII, hasce partes fortiter et egregie tuentis, auctoritas ex omnium virorum doctorum judicio valuerit, dicere nequeo; hoc scio, vulgo nunc receptum esse, ut *adjutoris* notio similisve aliqua voci παράκλητος tribuatur (†). Sed ut candide expromam, quod sentio, jam a longo tempore haec interpretatio mihi in erroris fuit suspicione, quam nec semel iterumque relegendâ KNAPPII disputatione ab eâ propulsare poteram. Nuper autem hujus viri argumentis denuo examinatis, causas ab eo dissentiendi mihi reperisse videor haud leves et contemnendas. Primum enim

(*) Ὑπομνήματα *in omnes libr. N. T.* ad h. l.

(**) Cff. MACKNIGHT *A Harmony of the four Gospels with a Paraphrase and Notes* ad *Joann. XVI:7.* MORUS *Dissert. Theol. et Philol.* Vol. I. p. 306, 307. Ed. 2. et SEMLER *Paraphrasis Euangel. Johann.* ad h. l., qui tamen minus perspicue sententiam dixit.

(†) Cff. SCHOTT, KUINOEL et TITTMANN ad h. l. EICHHORN *Biblioth. der Bibl. Literat.* Tom. VII. p. 1049. VAN HERWERDEN *over het Euangelie van Joann.* ad h. l. MUNTINGHE *Geschied. der Menschh.* cet. Tom. X. p. 40, 41 et Annot. p. 12. BRINK *Het Afscheid van* JEZUS *van zijne leerlingen en zijne bede tot den Vader.* p. 128, 129 aliique.

enim verbum παρακαλεῖν et nomina ab eo prognata multo frequentius in scriptorum Atticorum libris de *adjuvando* dicuntur, quam in scriptis POLYBII, ARRIANI, DIODORI *Sic.*, ad quorum exempla Novi Testamenti dictio maxime composita est. Deinde in oratione JESU et *Apostolorum* locum plane nullum, qui hanc sibi notionem postulet, me reperire memini. Nam verba τῇ παρακλήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος *Act. IX:* 31, ad quae post alios provocavit KNAPPIUS, quominus vertendo reddantur *consolatione Spiritus Sancti*, nihil obstare puto. Si LUCAE mentem bene intellexi, narrat nobis, sectatores Christi Palaestinam incolentes, cum *Spiritus Sanctus* iis pace et tranquillitate, quâ nunc uterentur, solatium afferret malorum, quae antea passi essent, valde increbruisse. Jam vero quis, quaeso, scriptori alicui eam vocis cujusdam notionem, quae ipsi ejusque aequalibus incognita vel inusitata fuerit, tribuendam esse censebit, donec, uti hoc in loco, aliam nobis suppeditat loquendi usus, in scriptis ejus et aequalium obvius? Praeterea qui *Spiritum Sanctum* hîc *adjutorem* appellatum esse contendunt; eodem titulo censent se insignivisse JESUM: sed haec denominatio personae ejus parum congruit, quippe qui hac in vitâ degens, discipulos suos minus adjuvit, quam docuit monuitque. Neque *Rabbinorum* loca, a DRUSIO et BUXTORFIO (*) laudata, in quibus פְּרַקְלִיטִין memorantur, huic interpretationi favent;

quo-

(*) *Lexic. Chald. Talmud. et Rabbin.* p. 1843.

quoniam ibi haec vox non de *adjutoribus* et *amicis* dicitur, sed de *patronis*, *defensoribus*, *deprecatoribus*, cum quibus *Spiritum Sanctum* a JESU non comparatum esse posse supra vidimus. Fortasse tamen quis opinabitur, qui hoc loco *παράκλητον* vertendo reddat *adjutorem*, eodem modo hoc interpretari vocabulum, quo istud interpretari debeamus I *Joann. II:* I, ubi legimus: *Παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν Πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον.* Sed ipse KNAPPIUS, hoc sibi praesidium quaerere nolens, fatetur, in postremis CHRISTI sermonibus, qui *Spiritum Sanctum* pollicentur, vim hujus vocabuli latius patere, quam in JOANNIS Epistolâ. Quod si hujus interpretationis fautores ei concedere recusant, nihil aliud iis superest, quam ut assentiantur GROTIO, in verbis CHRISTI, promissionem *παρακλήτου* praecedentibus: *καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν Πατέρα*, circumlocutionem muneris hujus *παρακλήτου* esse. At hoc tantum placere potuit antiquioribus illis interpretibus, qui JESUM de *patrono* locutum esse arbitrabantur. Nam quomodo *Spiritus Sanctus* in discipulorum animis *παρακλήτου* munere pari modo atque apud Deum CHRISTUS functus esse censebitur?

Una igitur nobis restat vocis *παράκλητος* interpretatio, quam tertio loco commemoravimus. Nimirum verbum *παρακαλεῖν* et nomen *παράκλησις*, uti nonnunquam apud scriptores Graecos (*), sic frequen-

(*) Unum nunc notare mihi lubet locum FLAV. JOSEPH. *de Bell. Jud.* Lib. I. cap. 33. §8., ubi, quid HERODI post mortem obti-

quenter in *Alex.* V. T. *interpretatione* inque N. T. libris de *consolando* dicuntur (*). Qui igitur vocem παράκλητον *consolatorem* interpretatur, in orationem JESU non importat, quod a trito his in libris loquendi usu alienum sit. Sed non opus nobis est ex linguae Analogiâ argumentari: siquidem luculentum, quo utamur, in *Fragmentis* AQUILAE et THEODOTIONIS nobis exstat testimonium *Job. XVI*: 2; ubi uterque hic interpres perspicue docuit, vocem παράκλητος *consolatoris* notionem habere. Quod cum a nemine in disceptationem vocetur, breviter attigisse sufficiet. Quoniam autem ceteri omnes Hellenistarum libri, adhuc superstites, locis carent, in quibus vox παράκλητος reperiatur; ignoramus quoque, num et alias huic voci notiones scriptores illi tribuerint. Quare nihil tutius est, quam quod ab AQUILA et SYMMACHO accipimus, ad interpretandam JESU orationem adhibere eumque de *consolatore* loquentem facere. Si quis forte putat, verba supra laudata 1 *Joann. II* : 1 [illegible] huic

tigerit, sic enarrat auctor: Πτολεμαῖος τόν τε βασιλέα κατευδαιμονίζει, καὶ τὸ πλῆθος παρακαλεῖ, τήν τε ἀπολειφθεῖσαν τοῖς στρατιώταις ἀνεγίνωσκεν ἐπιστολὴν, ἐν ᾗ πολλὰ τῆς εἰς τὸν διάδοχον εὐνοίας παρεκάλει. Quâ igitur in sententiâ verbum παρακαλεῖν et *consolandi* notionem habet et *exhortandi*.

(*) Loca plurima congesserunt BIEL et SCHLEUSNER *in Thes.* SCHLEUSNER in *Lex.*, WAHL in *Clavi* ad h. v. Cf. REINHARD in *Comment. Theol. ed.* a VELTHUS. KUIN. et RUPERT. Vol. VI. p. 215 sqq. vel in *Opusc. Acad.* Vol. II. pag. 309 sqq.

huic sententiae repugnare, egregie fallitur. Nam, ut ipsum KNAPPIUM sequamur ducem, „Christo, in coelo habitanti, nulla alia de causa nomen tribuitur παρακλήτου, quam quod αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ut JOANNES vers. 2 exponit." Quem verum hujus loci sensum esse vir doct. copiose effecit. Jam vero si CHRISTUS, apud Patrem coelestem degens, hominum παράκλητος esse dicitur, quoniam his in terris morte suâ eorum peccata expiavit; quid hoc aliud est, quam hunc ipsum, qui nunc apud Patrem habitet, *consolatorem* esse, qui animos, tristi peccatorum conscientiâ depressos, ad expiationis illius memoriam erigat, Deique metum ex iis expellat? Sed ad orationem JESU revertamur. Quae igitur promissionem παρακλήτου praecedunt, quamvis talia non sunt, ut aliae hujus vocis interpretationes cum iis prorsus consistere nequeant; huic tamen uni multo plus quam ceteris afferunt commendationis. Nimirum postquam Magister optimus cap. XIII. mortem suam instantem et alia tristissima discipulis annunciaverat, ab initio cap. XIV id egit, ut animos eorum penitus depressos solatio erigeret. Quare vers. 1 sic orationem incipit: *Ne perturbetur animus vester: Vos credite Deo et mihi vos credite* (*). Unde exorsus discipulos vers.

2—6

(*) Duobus *Imperativis* JESUS hic utitur per *Epanalepsin*: quae figura in literis, tum sacris, tum exteris, frequens est. Hujus loci haud dissimile mihi videtur, quod reperitur apud JUSTIN. *Mart. Cohort. ad Graec.* p. 33. C. D *Benedict.*: Πείσθητε Ὀρφεῖ --- καὶ τοῖς λοιποῖς, καὶ τοῖς τὰ αὐτὰ περὶ ἑνὸς

Θεοῦ

2—6 edocet, se, hinc ad sedes coelestes profectum, veram iis et aeternam beatitatem paraturum, viaeque ducem, ut ad gloriam istam perveniant, his in terris futurum esse. Deinde vers. 7—11 non solum a se, sed et a Deo Patre, cujus virtutes in vitâ suâ adspectabiles faciat, bona quaevis et praeclara iis speranda esse monet. Et sigillatim vers. 12—14 iis datum iri promittit facultatem patrandi, quae miraculis majora et illustriora essent, et omnino quidquid a Deo religionis Christianae causâ precarentur. Haec tamen omnia, cum animadvertat JESUS, parum valere ad discipulorum animos tristitiâ et metu liberandos; ecce! aliam insuper et longe gravissimam iis vers. 15 sqq. proponit tranquillitatis recuperandae causam. Quae ejus oratio, vide, quam apte cum dictis praecedentibus cohaereat, si JESUM ibi de *consolatore, in vicem suam successuro*, loquentem inducimus. Nobis certe haec ejus mens esse videtur: *Dummodo vos me ametis, non solum ipsi jussis meis obtemperabitis* (*); *sed ego*

Θεοῦ γεγραφόσι πείσθητε. Praetereo loca apud DEMOSTH. CICER. CHRYSOST. passim obvia. Sed silentio mittere nolo, quod *Luc. XXIII*: 28 legimus: Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμέ· πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε. Inprimis vero descriptu digna sunt verba JESU *Joann. XIV*: 11: Πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί· εἰ δὲ μὴ, διὰ τὰ ἔργα αὐτὰ πιστεύετέ μοι: ubi sequimur editionem GRIESB. Plura ex literis sacris congessit GLASS. l. c. Tom. I. p. 1333. Argumentis autem alius generis, nec tamen spernendis, ad hanc interpretationem tuendam usus est KNAPP. l. c. p. 308—310.

(*) *Punctum*, quod editores N. T. inter verss. 15 et 16 interjecerunt, a me in *comma* mutatum esse, nemo aegre feret.

ego a Patre etiam impetrabo, ut vobis consolatorem mittat, qui aeternum vobiscum sit. Cui interpretationi multum ponderis ex eo accedit, quod ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, THEODORUS *Mopsuest.* THEOPHYLACTUS aliique interpretes veteres, linguae graecae peritissimi (*), hanc viam posteritati commonstrarunt: quos duces multi ante haec nostra tempora secuti sunt viri praestantissimi (**).

Ne vero cetera hujus *Euangelii* loca, quae vocem παράκλητος continent, tanquam huic interpretationi repugnantia, nobis opponantur; operae pretium erit ostendere, quid voluerit JESUS, *Spiritum Sanctum* hoc nomine appellans. Hunc nempe discipulos, consuetudine suâ familiari privatos, tam eximie, vicibus suis sustinendis, consolaturum esse promittit, ut damnum iis illatum satis superque compenset. Pro tali igitur consolatore *Spiritum* hunc divinum haberi jubet, qui pariter doctoris, monitoris, ducis, rerumque futurarum vatis inter eos functurus sit munere, et majora adeo effecturus, quam ipse his in terris efficere potuerit. Vicarius autem tam plane singularis nonne summo jure *consolatoris* titulo insignitur? Nonne in vitâ communi animos, cum carissimi amici discessum lugent, maximo solatio perfundit, qui hujus partes

(*) Cf SUICERI *Thes.* Tom. II. p. 584, 585.

(**) Cff. BEZA, ARETIUS, MALDONATUS ad h. l. STEPHANUS in *Thesaur. Ling. Graec.* Tom. II. p. 26, 27. Quibus adde DODDRIDGE *The family Expositor.* Tom. II. p. 455.

tes excipit docendo, monendo, spem quamvis laetam faciendo, opemque suam in rebus tristissimis ferendo? Nonne, si e. g. pater quis, morti proximus, liberis suis *consolatorem* talem augurare potest, haec sibi dulcissima capita sic alloquetur: Perturbat vos cruciatque mortis meae appropinquatio; sed dolori, quaeso, adhibete modum: consolator vobis erit meum in locum substitutus, qui vos ad omne, quod verum et honestum est, educet, praesentiâ suâ semper adjuvet et longe pluribus, quam ipse vobis attulerim, bonis gaudiisque beet? Jam vero paria CHRISTUS Cap. *XIV*: 26. *XV*: 26. *XVI*: 7—14, *τὸν παράκλητον* inducens, discipulis suis promittit. Vobis, inquit, *παράκλητος* ille, pariter atque ego, veri et honesti doctor et dux erit. Quae vobis in vitâ meâ adhuc obscura sunt, illustrabit. Opiniones vanas et perversas quaslibet animis vestris evellet. Tradet vobis, quae adhuc ferre non potestis. Praeterita vestram in memoriam revocabit et futura vobis praenunciabit. Hic idem quoque vulgus hominum, et culpae suae, quam me spernendo committunt, et meae innocentiae, in eo, quod hac ex terrâ ad gloriam Patris evectus ero, conspicuae, et victoriae a Diabolo reportatae, quippe quem tyrannide suâ exuero, convincet (*).

Cum

(*) In oratione JESU *Joann. XVI*: 9—11 multi interpretes tantopere non laborassent, si vidissent, in priori quovis horum versuum membro *nomen ejus*, *ad quem vocabula ἁμαρτίας*, *δικαιοσύνης* et *κρίσεως referri debent*, reticeri, exque membris posterioribus sic supplendum esse *ἁμαρτίας αὐτοῦ* vel *αὐτῶν*, *δικαιοσύνης μου* et *κρίσεως τοῦ ἄρχοντος τοῦ κόσμου*: ubi JE-

Cum autem haec omnia JESUS τῷ παρακλήτῳ attribuit, nihil obstat, quominus mentem ejus sic interpretemur: Vestro ad haec peragenda *Spiritus Sanctus* utetur ministerio. Per vos mihi sectatorum copiam plane mirabilem conciliabit. Vos laetissimae rerum conversionis non tantum spectatores faciet sed auctores. Quidquid igitur doloris desiderium mei vobis incusserit; animos ille vestros satis superque consolabitur.

Itaque in totâ hac JESU oratione cap. XIV—XVI nihil esse putamus, cui *consolatoris* notio bene definita minus congruat. Nec forte viri docti hanc notionem in suspicionem adduxissent adeoque prorsus improbassent; nisi in hoc ipso loco, cujus interpretationem suscepimus, vox ἄλλον nomini παράκλητον praeposita, ex communi omnium sententiâ, declararet, JESUM *se aeque ac Spiritum Sanctum* hoc titulo insignivisse. At nunc haud levem sibi interpretes videntur habere causam, cur vocem illam aliter exponere jubeant. Quonam enim, rogant, jure se discipulorum *consolatorem* dicere potuit, qui totus erat in iis erudiendis et ad munus Apostoli praeparandis? Immo vero *doctoris*, ajunt, *monitoris*, *adjutoris*, *ducis* vicibus ille functus est: *consolatoris* appellatio in unum quadrat *Spiritum Sanctum*. Atque haec argumentatio num refellatur iis,

JESUS loquitur *de rebus*, *quae* non ad alios quoslibet, sed *ad ipsos illos spectant*, a se postea nominatos. Ceterum cf. NOESSELT. *Opusc.* Fasc. II. p. 49 sqq.

iis, quae jam veteres (*) ad *consolatoris* titulum JESU vindicandum disputaverint, vehementer dubitamus. Sed aliam ejus refellendae ingrediamur viam. Verba JESU haec sunt: Καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν. Jam vero haec sic intelligenda esse, ac si ille *se aeque ac Spiritum Sanctum* παράκλητον dixerit, temere nobis sumi videtur: sed nomen *Adjectivum* ἄλλον *Substantivi* locum ita sustinere censemus, ut ei per *Appositionem*, et quidem interpretandi causâ, subjungatur vox παράκλητον. Quae si stat sententia, mens JESU perspicue explicabitur verbis Graecis in sermonem vernaculum sic convertendis: *Hij zal u eenen anderen, eenen trooster geven*: in latino sermone ad perspicuitatem necesse erit, vocem *nempe* vel similem orationi inserere, ut scribas: *Alium, nempe consolatorem, vobis dabit.* Circumspiciamus argumenta, quibus hanc sententiam tueamur.

Appositionem, quam dicunt, in scriptis veterum frequentissimam esse, et monuerunt alii et ostenderunt (**). Exemplo nobis unus sit alterque locus,

(*) Cf. praeter scriptores supra ll. ATHANASIUS Opp. Tom. I. p. 220 C. D. Tom. II. p. 591 A. ed. Col. 1686.

(**) Cff. PERIZON. ad SANCTII *Minervam* Lib. IV. cap. 8. MATTHIAE *Ausführliche Griechische Grammatik.* p. 382 sqq. GLASS. l. c. Tom. I. p. 12 sqq. Cognita quoque est elegantissima KNAPPII *Prolusio in locum ex Epist. ad Hebraeos XII*: 18-24: in quâ probare conatur, longam illo loco contineri *Appositionum* seriem. Vide ejus *Opusc.* II. Tom. I. p. 257 sqq. nec non Tom. II. p. 440, ubi multa hujus figurae Grammaticae exempla congesta sunt.

cus, minus bene adhuc ab omnibus expositus. *Act. II* : 32. verba PETRI: Τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ Θεός, orationi praecedenti parum congruunt, si ea cum multis interpretibus explicamus: *Hunc ipsum Jesum ex morte suscitavit Deus*: sed obtemperandum est HEINRICHSIO in *Comm.* ad h. l. aliisque, et scribendum: *Hunc ipsum Messiam*, JESUM *nempe* cet. Ita et sumenda videntur verba vers. 22, quorum, nisi fallimur, haec vera distinctio est: Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις, οἷς ἐποίησε δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ ὑμῶν, καθὼς καὶ αὐτοὶ οἴδατε, — — — ἀνείλετε. PETRI mentem esse putamus: *Jesum Nazarenum*, *virum*, *non sibi quid arrogantem*, *sed a Deo missum*, *probatum nempe variis miraculis*, *per eum inter vos*, *ut ipsi nostis*, *divinitus editis* — — *occidistis*. Videtur enim ἀπὸ τοῦ Θεοῦ breviter dictum pro ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἐλθόντα vel ἀπεσταλμένον. Legantur *Matth. XXVI* : 47. *Luc. XXII* : 43. *Matth. XV* : 1 coll. *Marc. VII* : 1, 4. Quibus adde 1 *Macc. V* : 58 et POLYB. *Histor.* Lib. II. p. 94 D. E. CAS. Quae autem KUINOELIUS in *Comm.* ad h. l. et KYPKIUS (*) opposuerunt HEINRICHSIO, hanc nostram hujus loci interpretationem non evertunt. VALCKENAERII (**) autem sententiae obstant verba ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς δυνάμεσι κ. τ. λ., quibus JESU non praestantia humana, sed legatio

Di-

(*) *Observat. Sacr. in N. T. libros* ad h. l.

(**) In *Scholis* ad h. l.

Divina laudatur. *Appositionem* quoque reperimus *Sirach. XXIV*: 12, ubi, si verba ἐν μερίδι Κυρίου κληρονομίας αὐτοῦ, commate voci Κυρίου postposito, sic exponuntur: *in parte Domini, nempe hereditatis ejus*, conjecturâ MUNTINGHII (*), ceteroquin ingeniosâ, quâ scriptio genuina auctori reddatur, ut equidem arbitror, carere possumus. Locum hisce adjiciamus depravatum CHRYSOSTOMI Tom. *XII*. p. 336 D. E. MONTEF., ubi orator probare conatus, minore cum horrore mortem subiturum fuisse ADAMUM, nisi ex ABELIS filii sui nece tristem adeo mortis naturam cognovisset, sic pergit: Νυνὶ δὲ αὐτὸς μὲν ζῶν, ἐν ἑτέρῳ σώματι ὁρῶν τὸν θάνατον κρατοῦντα τὸ τοῦ παιδὸς, ἀκριβέστερον καὶ σαφέστερον ἐμάνθανε τῆς κολάσεως τὸ μέγεθος. Quae sic vertendo reddidit interpres: *Nunc autem ipse quidem vivus, in alio autem corpore mortem videns filii corpus occupantem, accuratius et clarius punitionis magnitudinem didicit.* At quid significent verba: *in alio corpore mortem videns filii corpus occupantem*, interpres non dixit. Pro κρατοῦντα τὸ τοῦ παιδὸς scribendum est κρατοῦντα, τῷ τοῦ παιδὸς: ut oratori sua mens restituatur: *in alio corpore mortem videns regnantem, nempe in corpore filii.* Quam correctionem veram esse apparet ex proxime sequentibus: Διάτοι τοῦτο οὐδὲ ἁπλῶς ἐν ἀλλοτρίῳ σώματι, ἀλλ' ἐν τῷ τοῦ παιδὸς αὐτὸν εἶδεν. Sed ne longius excurrat disputatio, cetera nunc hujus generis loca praetereuntes, illa una lustremus, in quibus

(*) *Geschied. der Menschh.* cet. Tom. VIII. Ann. p. 60.

bus nomen aliquod per *Appositionem* voci subjicitur ἄλλος, ita ut haec *Substantivi* vim habeat. Talia nobis occurrunt loca tam apud scriptores exteros, quam in libris N. T. THUCYDIDES *Hist.* Lib. VIII. cap. 84 de *Milesiis* loquens, graviter ferentibus admonitionem LICHAE, oportere eos aliosque, qui in Regis essent ditione, TISSAPHERNI inservire, donec bellum feliciter confecissent, his utitur verbis: Οἱ δὲ Μιλήσιοι ὠργίζοντό τε αὐτῷ, καὶ διὰ ταῦτα, καὶ δι' ἄλλα τοιουτότροπα. i. e. *Milesii succensebant ei et propter haec, et propter alia, quae* NEMPE *ejusdem erant generis.* Sed multa apud veteres hujusmodi loca sunt. Minus vulgare est, quod reperitur apud PALAEPHATUM *de Incredibil. Histor.* cap. 8, qui de viro quodam *Thebano*, cui nomen 'Αλώπηξ, haec enarrat: Συναγαγὼν δὲ ἐκεῖνος πολὺν στρατὸν, καὶ ἄλλους μισθοφόρους, τὸν καλούμενον λόφον Τευμήσιον κατέλαβε. Hoc autem intelligi nequit, nisi ἄλλους μισθοφόρους exponimus *alios*, NEMPE *mercede conductos.* i. e. qui a copiis modo memoratis differunt, quod milites mercede conducti erant. Similiter explicanda sunt verba LUCIANI *advers. Indoctum* cap. 30: Καὶ σὺ τοίνυν ἄλλῳ μὲν δεηθέντι χρήσειας ἂν τὰ βιβλία, χρήσασθαι δὲ αὐτὸς οὐκ ἂν δύναιο: quae interpres recte vertendo reddidit: *Quare tu quoque alii roganti commodare possis libros, ipse uti illis nequeas.* Quid vero *alii roganti* denotat, quam *alii* NEMPE *roganti*, i. e. alii in eo a te differenti, quod rogat? Atque ita etiam apud EPIPHAN. *Haeres.* LIV. ἄλλοι πάντες Θεοῦ δοῦλοι sunt *omnes alii*, NEMPE *qui nominis*

Di-

Divini sinceri cultores erant, inque eo diversi a THEODOTO, unâ cum illis ad disciplinam CHRISTI profitendam evocato. Sic enim dicit: Οἱ *μὲν ἄλλοι πάντες Θεοῦ δοῦλοι, τὸ νῖκος ἀπενεγκάμενοι, βραβείων ἔτυχον ἐπουρανίων, ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσαντες, οὗτος δὲ Χριστὸν ἀρνησάμενος κ. τ. λ.* Ne vero cui scrupulum injiciat Articulus *οἱ*, huic sententiae praefixus, monendum est, Articuli istius usu non *Adjectivum* nomen in *Substantivum* converti, sed homines *finitos* discerni ab *infinitis:* Quam ob rem illis in locis, ubi *ὁ* non praefigitur voci *ἄλλος*, reticeri censendum est Pronomen *τὶς*, quod expressit EUSEBIUS l. c. Lib. V. cap. 5. Nimirum narratâ Christianorum legionis *Melitinae* militum fiduciâ, qui, unâ cum toto MARCI ANTONINI exercitu in summâ aquae inopiâ versantes, Deum flexis genibus, ut repente sibi succurreret, precati erant, orationem sic persequitur: *Παραδόξου δὲ τοῖς πολεμίοις τοῦ τοιούτου δὴ θεάματος φανέντος, ἄλλο τι, λόγος ἔχει, παραδοξότερον ἐπικαταλαβεῖν αὐτίκα.* Posteriore hujus sententiae membro dici: *aliud quid, quod* NEMPE *longe admirabilius erat, statim accidisse fertur*, nemo non videt. Huc quoque referatur, quod scripsit XENOPHON *Memorab.* SOCR. Lib. III. cap. 6: *Γλαύκωνα δὲ τὸν Ἀρίστωνος, - - ὄντων ἄλλων οἰκείων καὶ φίλων, οὐδεὶς ἠδύνατο παῦσαι ἑλκόμενόν τε ἀπὸ τοῦ βήματος καὶ καταγέλαστον ὄντα· Σωκράτης δὲ, εὔνους ὢν αὐτῷ, διά τε Χαρμίδην τὸν Γλαύκωνος καὶ διὰ Πλάτωνα, μόνος ἔπαυσεν.* Nam si Participium *ὄντων* manu satis leni mutamus in *θελόντων*, haec mens auctori tribuenda est: *Glauconem Aristonis*

nis filium, quamquam vellent alii, amici NEMPE *et familiares, neminem tamen cupiditate pro concione dicendi liberare potuisse; unum vero ei sanitatem restituisse* SOCRATEM, *ipsi quidem non familiarem, sed* CHARMIDAE et PLATONIS *gratiâ bene cupientem.* Sed et Participium *θελόντων* ex vocibus *ὄντων* et *ἠδύνατο* intelligitur: ita ut editio vulgaris eundem habeat sensum. Plura ex exterorum scriptorum libris afferre non lubet. In N. autem T. vocem *ἄλλος* alia itidem per *Appositionem* post se trahere, jam elucet ex *Marc. VII* : 4: *Καὶ ἄλλα πολλά ἐστιν, ἃ παρέλαβον κρατεῖν, βαπτισμοὺς ποτηρίων κ. τ. λ.* Quae explicanda sunt *et alia, eaque multa:* nam si in voce *ἄλλα* merum *Adjectivum* cerni putamus, cum *Substantivo πολλὰ* copulatum, MARCUM dicentem facimus, se *multa* jam Pharisaeorum instituta recensuisse, quamvis *unum* tantum attigit, *manuum lavationem.* Cf. vers. 8, ubi vox *ἄλλα* eodem modo accipi debet. Exemplum haud minus illustre idem praebet auctor cap. XIV: 58, mendaces homines pro senatu Judaico adversus JESUM hoc testantes inducens: *Ὅτι ἡμεῖς ἠκούσαμεν αὐτοῦ λέγοντος· ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον τὸν χειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω.* Istud enim *ἄλλον ἀχειροποίητον* quid est, quam *templum aliud*, NEMPE *manibus non aedificatum*, seu templum, a superiore in eo diversum, quod non ab hominibus constructum sit, sed a Deo? Quod his de locis MARCI notatum est, observare etiam debemus in explicando 1 *Cor. XIV*: 30: *Ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ, ὁ πρῶτος σι-*

σιγάτω. Cui orationi, nisi verba ἄλλῳ καθημένῳ exponantur *alii* NEMPE *sedenti*, nullum inesse sensum, perspicue intelliget, qui hunc modo versum inspexerit praecedentem: Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν. i. e. *Duo vel tres Prophetae* STENT PRO CONCIONE *dicentes* cet. Ad hanc locorum classem quoque referendus est *Hebr. IV*: 8: Εἰ γὰρ αὐτοὺς Ἰησοῦς κατέπαυσεν, οὐκ ἂν περὶ ἄλλης ἐλάλει μετὰ ταῦτα ἡμέρας: in quo, interprete ABRESCHIO(*), haec leguntur: *Nec vero per istam requiem intelligi quietam Palaestinae sedem, in qua majores nostros* JOSUA *collocasset, ex eo manifestum est, quia nec tum de alia post illud tempus ac nova die locuturus fuisset Dei Spiritus:* ita ut verba ἄλλης μετὰ ταῦτα (ἐσομένης) ἡμέρας *alium* denotent, NEMPE *posteriorem*, *diem*. Docent igitur haec loca (nam plura in medium proferre nihil attinet), nos a loquendi usu non discedere, cum verba JESU ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν interpretemur *alium*, *nempe consolatorem*, *dabit vobis*.

Superest, ut ad orationem contextam, eandemque remotiorem et propiorem, breviter revertamur. Haec enim, nisi fallimur, sententiae nostrae eximie favet. Proponit JESUS, ut monuimus supra, ab hujus capitis initio, quae discipulis, praesentiâ suâ carituris, solatio esse possunt. Sed parum ea juvare videns ad animos eorum curâ et sollicitudine levandos, aliud addit efficacius. Quid vero

(*) *Paraphr. et Annot. in Epist. ad Hebr.* ad h. l.

ro nunc aptius, quid convenientius tempori est, quam ita dicere: *Ego absens impetrabo a Patre, ut pro me alium ad vos mittat, qui vobis hoc in mei desiderio consolator sit, et nunquam a vobis discedat?* Et sicuti haec oratio suaviter fluit; sic quae JESUS hinc discipulis suis tradit, eam commode sequuntur. Cum enim, *Spiritus Sancti* adventu semel promisso, vers. 26. cap. XV : 26. XVI : 7 non amplius eum ἄλλον παράκλητον, sed simpliciter τὸν παράκλητον dicat, loqui omnino videtur, ut omnes homines loqui *de eo* solent, *quocum comparandus nemo est.* Nam qui Articulo τὸν cum CAMERARIO (*) notionem tribuunt Pronominis Latini *illum*, ejusque usu alterum παράκλητον ab altero distingui putant, parum meminerunt, scriptores N. T., cum in tali oratione, qualem hoc loco reperimus, duos pluresve inter se distinguere volunt, huic Articulo Pronomen ἐκεῖνος adjicere, JOANNEM hoc uno Pronomine uti solere. Vide *Luc. X* : 12. *XX* : 35. *Joann. I*. 8. *VIII* : 44. *XIV* : 12. 2 *Tim. I* : 12, 18. 1 *Joann. II* : 6. *III* : 5. Ceterum molestias nobis non creabunt, qui πνεῦμα ἅγιον in libris hisce *mentem hominum mutatam et emendatam* esse judicant. Quid enim obstat, quominus illi nobis concedant, hunc *Spiritum Sanctum*, per *Prosopopoeïam* consolatorem vocatum esse, qui JESU foret vicarius? Sed necesse non est partes nostras tueri adversus interpretes, qui, ut certo nobis persuasum est, literis sacris sensum important, ab

(*) in *Comm.* ad *Joann. XVI* : 7.

ab auctorum mente plane alienum. Quare rationem ita concludimus, verba Aramaea, quibus Graeca *ἄλλον παράκλητον* respondent, a JESU non prolata esse, ut se aeque ac *Spiritum Sanctum consolatorem* appellaret, sed ut hunc *Spiritum* nomine illo a se distingueret.

Joann. XIX: 28—30.

Μετὰ τοῦτο εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει· διψῶ. Σκεῦος οὖν ἔκειτο ὄξους μεστόν· οἱ δὲ, πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι. Ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος ὁ Ἰησοῦς, εἶπε· τετέλεσται· καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν, παρέδωκε τὸ πνεῦμα.

Haec verba JOANNIS, si plerorumque interpretum sententia vera est, hunc habent sensum: *Cum probe sciret* JESUS, *se omnia peregisse, quae sibi mandato divino imposita essent, postremum facere voluit, ut vaticinatio* DAVIDIS *Psalm. LXIX*: 22 *ad exitum perveniret. Dixit igitur: Sitio. Quam vocem audientes, qui adstabant cruci, spongiam in acetum, cum aquâ mixtum, immersam ori ejus admoverunt. Ille vero, haustu liquoris accepto, dixit: peracta sunt, atque eodem fere temporis puncto caput reclinans animam efflavit.* Existimant igitur causam, cur JESUS et sitim suam quereretur, et liquore uteretur, in vaticinationis modo dictae ad eventum perducendae studio positum fuisse. Recentiori quidem memoriâ nonnulli aliam et multo meliorem hujus loci interpretandi viam ingressi sunt: monentes, JESUM, *cum sitim suam enunciaret, et accepto potu, biberet, ita egisse, quod omnia, quae vates Divini de ipso praedixissent, nunc consummata esse sciret; minime vero sibi proposuisse, ut singulari* DAVIDIS *vaticinationi eventum responden-*

dentem faceret (*), sed omnibus tamen de interpretationis suae probitate nondum persuaserunt (**). Quod mirabitur nemo, qui haec duo secum reputaverit; alterum, sententiam vulgarem omnium, quantum scimus, antiquorum interpretum auctoritate niti (†); alterum, qui ab eâ dissentirent, dissensionis suae causas minus perspicue et enucleate exposuisse, aliisque contradictiones, quibus haud plane probabilitatis deesset species, reliquisse. Sed uti dubio vacuum nobis est, contradicendi materiem penitus tolli posse; sic nos hoc in loco non movebit vox antiquitatis: quippe quae, si de fi- gen-

(*) MICHAËLIS, SEMLER, VAN HERWERDEN, TITTMANN et VAN DER PALM cc. ll. ad h. l. RENSING *Verhandeling betreffende eenige merkwaardige bijzonderheden van het lijden, sterven en de opstanding van onzen Heere en Zaligmaker*, JEZUS *den* CHRISTUS, *uit een geneeskundig oogpunt beschouwd. Tweede uitgave door* IJ. VAN HAMELSVELD. p. 89. Quibuscum pauci fortasse consentiunt alii. Praeivisse videtur GROT. scribens: „Ἵνα est Ἐκβατικὸν, ut jam saepe notavimus."

(**) Vulgarem sententiam recentiori memoriâ secuti sunt KLINKENBERG, SCHOTT, ECKERMANN, KUINOEL aliique, et ita quidem, ut interpretationis alterius ne mentionem quidem facerent.

(†) Communi consensu hunc locum ita interpretati sunt CHRYSOST. AUGUSTIN. EUTHYM. *Zigab.* THEOPHYLACT. Quorum vestigiis institerunt LUTHER. CALVIN. BEZA, MUSCULUS, CASTALIO, et optimi quique harum rerum judices, excepto fortasse, uti diximus, GROTIO. KOECHERO igitur in *Analect.* et LAMPIO in *Comm. Analyt.-Exeget.* ad h. l. haec una hujus loci interpretatio cognita fuit. WOLFIUS tantâ animorum concordiâ in eâ acquiescere vidit viros doctos, ut vel attingendi hujus versus in *Curis* ad h. l. otium sibi factum putaret.

gendâ verbi alicujus notione quaestio est, nunquam non audiri meretur; exiguam vero vel nullam auctoritatem habet, ubi filios deinceps et nepotes in interpretatione, quae iis a majoribus tradita esset, inconsulte perstitisse apparet (*).

Argumenta sane, quibus vulgarem horum verborum interpretationem refellamus, alteram vero defendamus, tot mihi ac tanta esse videntur, ut fere nesciam, cuinam princeps constituendus locus sit. Sed incipiamus ab expendendis primis hujus orationis verbis: *Μετὰ τοῦτο εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται*: quibus JOANNES, interprete TITTMANNO, scientem inducit JESUM, se omnia, quae secundum vatum antiquorum effata ab ipso praestanda essent, et agendo, et patiendo praestitisse. Si quis tamen cum aliis putaverit, JESUM ea tantum in mente habuisse, quae hoc postremo vitae suae die ab adversariis Judaeis ferenda fuissent, non admodum ei repugnabo. Jam vero sumamus, Euangelistam, hac JESU scientiâ narratâ, continuo ei consilium adscribere ad eventum insuper perducendi, quae de potu ipsi porrigendo Poëta antiquus cecinisset; nae! mirifice sic languet ejus oratio. Silentio mittimus, quam tenue et minutum sit, qui salutis humanae causâ tot

(*) Cf. LÜCKE *Ueber den richtigen Begriff und Gebrauch der exeget. Tradition in der Evangel. Kirche* in libro, cui titulus: *Theologische Zeitschrift*, *Herausgeg. von* FR. SCHLEIERMACHER, W. M. L. DE WETTE et F. LÜCKE. Part: III. p. 121 sqq.

tot ac tanta perpetrasset et recentissimis maxime horis tolerasset, postremum, ut vaticinatio quaedam sortiretur exitum, nonnihil liquoris petiisse et hausisse. Sed nonne quemque suus docet sensus, sententiae: *Omnia jam consummata sunt*, valde inepte subjungi alteram: *consummandum restat, quod cecinit* DAVIDES? Novimus quidem interpretes, quibus GROTIUM et SEMLERUM calculum adjecisse miramur, hanc difficultatem tollere velle dicendo, verba *πάντα ἤδη τετέλεσται* de tempore *paulo post futuro* sumenda et exponenda esse: *omnia mox consummata erunt;* sed cum verbum *τετέλεσται* vers. 30 hanc interpretationem manifesto respuat, aut vehementer fallor, aut hoc etiam in versu de alio tempore sumi debet, et quidem de *praeterito*. Et si vel utriusque versus comparatio nos hujus rei non certiores faciat; Adverbium tamen *ἤδη* declarat, in priori loco aeque atque in posteriori id, *quod jam peractum est*, verbo *τετέλεσται* denotari. Quamvis enim recte monuerunt *Grammatici* et *Lexicographi* (*) hoc Adverbium de *praeterito*, *praesenti* et *futuro* tempore dici; nullum tamen scriptorum, sive sacrorum, seu exterorum locum in eorum libris vel alibi excitatum vidi, ubi, praefixo vel adjuncto huic voci verbo *praeterito*, aliquid proponeretur, quod *futurum* esset. Neque hoc fieri potuit, cum istud *ἤδη* per se temporis definitionem non contineat, sed aeque ac vocabulum La-

(*) Vide HESYCHIUM, SUIDAM, PHAVORINUM ad h. v. STEPHAN. in *Thes.* Tom. I. p. 1430, *Anecdota Graeca* ed. ab J. BEKKERO. Vol. I. p. 262.

Latinum *jam*, prout verbum jubet cum eo connexum, *praesens*, vel *praeteritum*, vel *futurum* indicet (*). Haud vereor autem, ne quis mihi opponat, hoc Adverbium orationi JOANNIS ab alienâ manu insertum esse. Nam *Codd. Mss.* et *Patrum Eccles.* libri, in quibus haec vox non legitur, sunt fere omnes recentioris aetatis. Et *Versionum*, etiam antiquissimarum, testimonio non multum fidei habendum est: quoniam vocabula, a quibus series orationis minus pendet, ab interpretibus saepissime neglecta sunt.

Haud minus gravis causa, cur vulgaris hujus loci interpretatio spernenda, eique altera, quam commemoravimus, praeferenda sit, in verbis cernitur: *ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει· διψῶ.* Haec enim cum loquendi usu, in libris N. T. reperiundo, non conveniunt, si JOANNES inter ea scribenda ad *Psalmum* laud. respexisse censendus est. Nimirum horum librorum scriptores, ubi ad *certum* aliquem ac *definitum* V. T. locum provocant, hujus ipsius loci verba, plerumque ad interpretationem *Alex.*, describere solent. Quod ab JOANNE etiam factum esse, et hoc ex eodem edocemur Capite, vers. 24, ubi, verba DAVIDIS *Psalm XXII* : 19 in mente habens, diserte scripsit: *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, ἡ λέγουσα· διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον*, et aliunde luculenter

(*) Cf. auctor *Etymolog. magn.* p. 418, 419. ed. SYLB. et ZEUN ad VIGER. p. 414.

ter apparet. Vide Cap. II:17. XII:37—40. XIX: 36, 37. Eâdem V. T. excitandi ratione JESUS ipse, quamvis sermone loquens *Aramaeo*, unâ cum aliis hoc in *Euangelio* usus est Cap. I:23. VI:31. VIII:17. X:34. XV:25. Cujus et orationem Cap. VI:45: Ἔστι γεγραμμένον ἐν τοῖς προφήταις· καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ (τοῦ) Θεοῦ sine scrupulo ad eandem locorum classem referimus. Verbis enim ἐν τοῖς προφήταις JESUS *volumen* illud significat librorum, *qui a Prophetis*, κατ' ἐξοχὴν ita dictis, *scripti sunt:* quemadmodum interrogatio ejus *Matth. XXI*: 42: Οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς· λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν, (ut ex *Marc. XII*: 10 et *Luc. XX*: 17 elucet) sic explicanda est: *An nunquam legistis dictum illud sacrarum literarum, lapidem, quem rejecerunt* cet. Cf. PAULI oratio *Act. XIII*: 40, 41, quam post alios laudat KUINOEL ad h. l. Si cui autem haec loca congessisse videmur, ut alia, in quibus ab excitandi ratione modo propositâ discessum sit, hac copiâ ac multitudine praeponderarentur; praesto nobis est, quod ei respondeamus: in *Euangelio* nempe JOANNIS nusquam, quantum novimus, ab illâ discessum esse. Fortasse quidem objiciet nobis, quod legitur Cap. XIII: 18: Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω· ἐγὼ οἶδα, οὓς ἐξελεξάμην· ἀλλ', ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ; sed, hoc loco diligenter lustrato, nullum plane nobis contradicendi remanebit argumentum. Hic enim omnino excitatur *Psalm. XLI*: 10, ita tamen, ut formula τοῦτο γέγονεν reticeatur: cujus reticentiae

exempla nonnulla infra proferemus (*). Gravius nobis primâ fronte obstat ejusdem JESU dictio Cap. XVII: 12: Οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ; sed salva res est, si se recte habet sententia KUINOELII, TITTMANNI, PALMII aliorumque interpretum, duce utentium CHRYSOSTOMO, JESUM non ad singulare aliquod V. T. effatum, sed generatim ad plura vatum antiquorum oracula respexisse. Si vero haec sententia alicui displicet, nondum tamen causam agimus desperatam. Asseverare enim haud veremur, JESUM, si vel aliquis V. T. locus ipsi hoc temporis puncto succurreret, sapientiam suam in eo, quod verba ore non exprimeret, conspicuam fecisse: quippe quorum recitatio, ubi colloqueretur cum hominibus, ad probandam vel illustrandam ejus orationem necessaria fuisset; in precibus, ad Deum emissis, nullius rei ignarum, plane fuisset et indecora, et absurda. Neque igitur huic loco JOANNIS ambiguo vis inest, aut evertendi, aut infringendi, quod in commentario hujus Euangelistae, ubi certum aliquod et definitum V. T. dictum vel ipse excitaret, vel alios excitantes induceret, nunquam non observatum esse monuimus. Quare dubitandum non est, quin, si Cap. XIX dicere vel-

(*) SEMLERI sententiae, a KUINOELIO probatae, verba ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ *Parenthese*os nota ab adjunctis separanda esse, minus favet loquendi usus. Sed etiamsi hoc recte se habeat, non cadunt tamen ea, quae de V. T. excitandi ratione, in JOANNIS *Euangelio* usitatâ, monuimus.

vellet, JESUM, morti proximum, verba DAVIDIS *Psalm. LXIX*: 22 in mente habuisse, congruenter mori suo scripsisset: ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφή· Εἰς τὴν δίψαν μου ἐπότισάν με ὄξος, λέγει· διψῶ. Cf. VAN HERWERDEN ad h. l.

Quae adhuc disputavimus, ad causam nostram tuendam jam sufficere arbitramur. Sed utrique argumentationi, a nobis propositae, adjungatur tertia, ex consilio et tenore carminis laud. petita. Quis enim non videt, si verba ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ cum sequentibus λέγει· διψῶ connecti debeant, necesse etiam esse, ut vaticinatio veri nominis, quae ad vitam JESU spectet, *Psalmo LXIX*: 22 contineatur? Aut quis tam durus et hebes est, qui, si narrantem fecerit JOANNEM, JESUM, ut et, quod olim DAVIDES de suâ aerumnâ dixisset, in se converti posset, sitim suam questum esse —— qui, si haec, inquam, scriptorem narrantem fecerit, hujus narrationis insulsitatem non ipse sentiat? Sed ut ineptias tales JOANNI obtrudere nolumus; sic interpretibus multis antiquioris maxime memoriae non possumus assentiri, DAVIDEM reverâ *Messiae* fata hoc in *Psalmo* praedixisse. Concedimus quidem, in rebus adversis, quibus Poëta Divinus se oppressum esse queritur, imaginem cerni malorum longe grandiorum et acerbiorum, quae *Messiae* postea acciderint: at multa tamen carmini ejus insunt, quae ad hanc JESU personam referri nequeant. Quid? quod pietatis officio deesse nobis videmur, si carmen, exsecrationum plenum, ita in-

interpretamur, ut mitissimum generis humani Servatorem, qui ovis, ubi ad lanienam agitur, obmutescentis similem se gessit, adversarios suos diris insectantem faciamus. Sed morari piget in lite, ab optimis quibusque hujus aetatis interpretibus jam compositâ. Cff. MUNTINGHIUS et PALMIUS ad h. l. Jam vero, cum nec DAVIDES hoc in carmine Christum loquentem induxerit, nec Christus, morti proximus, ut verba, quae ab se aliena esse novisset, ad rem suam converterentur, potum petiisse censendus sit; superest tantum, ut, vel contendamus, hunc ipsum (nefas dictu!) Poëtae orationem perperam interpretatum esse, vel, spretâ vulgari hujus loci JOANNIS interpretatione, alteram pro eâ substituamus. Et sane pronunciatio unius verbi διψῶ causam praebet satis levem existimandi, JESUM sententiam Poëtae valde dissimilem: *Εἰς τὴν δίψαν μου ἐπότισάν με ὄξος* in mente habuisse. Nonnulli quidem volunt, eum hanc vocem protulisse, quoniam praevideret fore, ut, quod olim DAVIDES de se questus esset, nunc ipse pateretur a militibus, acetum dantibus pro vino(*). Sed istud et longe repetitum est, et ipsi latuit JOANNI, qui, re ita comparatâ, Poëtae verba orationi suae sine dubio adjecisset. Praeterea milites, ut opem ferrent JESU, non ut huic misero illuderent, potionem ei porrigentes, suâ se humanitate digniores praestiterunt, qui laudarentur, quam qui vituperarentur. Cf. MICHAËL. ad h. l.

Si-

(*) Cf. EYNAEUS *Gekruiste Christus.* Cap. XIX. § 5.

Sicuti igitur, nisi fallimur, manifestum est, interpretationem hujus loci vulgarem falsam, alteram veram esse; sic suadet nobis, quae hoc in Euangelio passim reperitur, orationis structura, ut verba ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ non ad sequentia, sed ad praecedentia referamus. JOANNES conjunctionem ἵνα verbo, a quo illa pendet, postponere solet: neque ab hoc suo more nos eum uspiam discedentem reperire meminimus, praeterquam paucissimis in locis, a quibus omnis ambiguitas, quae hîc nobis occurrit, remota esset: videlicet Cap. *I*: 31. *XIX*: 31, et fortasse *XIV*: 31. Deinde aliorum verborum dispositio, in sententiâ plus unâ ab hoc scriptore usitata, valde similis ejus est, quam huic loco inesse putamus. Describamus dictum JESU *Joann. XI*: 4: *Αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι' αὐτῆς.* Duas hîc ejusdem stirpis voces δόξης et δοξασθῇ, quarum altera ad alteram illustrandam inserviat, per *Paronomasiam* copulari videmus. Et copulari utramque videmus in eodem orationis membro, in *Apodosi*. Quid inde efficimus? Nempe si optio nobis datur, utri orationis parti verba ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ adjungere velimus, sequenti λέγει· διψῶ, an praecedenti ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται; hoc, utpote dictioni JOANNIS convenientius, alteri praeferendum esse. Inprimis vero comparatu dignum est, quod legimus Cap. VI: 15. Sed quo utriusque loci convenientia citius celeriusque in oculos incurrat, similibus, quemadmodum in tabellis fieri soleat, similia apponamus:

Ἰησοῦς οὖν, γνοὺς,

ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν,
ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα,
ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

Μετὰ τοῦτο, εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς,
ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται,

ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ,
λέγει· διψῶ.

Nonne, his mutuo comparatis, clarissimâ in luce collocatum est, verba ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, si JOANNEM sibi constantem facere volumus, cum praecedentibus ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται conjungenda esse? Nonne ipse ille scriptor hanc nobis orationis structuram tanquam digito monstravit? Plura igitur ad eam confirmandam notare nihil attinet. Unum tamen adhuc adscribere juvabit locum, superiori loco parem, nisi luculentiorem et graviorem: verba nempe Cap. *XIII*: 1, quae sic se habent:

Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς
τοῦ πάσχα,
εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς,
ὅτι ἐλήλυθεν αὐτοῦ
ἡ ὥρα,
ἵνα μεταβῇ ἐκ τοῦ
κόσμου τούτου πρὸς
τὸν Πατέρα,
ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν κόσμῳ, εἰς
τέλος ἠγάπησεν αὐτούς.

Pro-

Profecto! sive ad cetera verba, seu ad commemorationem temporis, et notionem, Conjunctioni ἵνα tribuendam, animum attendimus; tantum nobis persuasum est hanc inter orationem et eam, in cujus interpretatione nunc versamur, intercedere similitudinis, ut sententiam ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ sine scrupulo cum praecedenti conjungamus et exponamus: *ita ut sacrarum literarum oracula eventum invenirent.*

Rogabit fortasse nonnemo, an in scriptorum N. T. more positum sit, V. T. libros generatim, vel universum sacrarum literarum volumen formulâ ἡ γραφὴ appellare. Quod quamquam levius est, breviter tamen ei respondendum putaverim. Evolvat igitur ille *Act. VIII*: 32. *Gal. III*: 8, 22. *Jac. II*: 8. 1 *Pet. II*: 6. 2 *Pet. I*: 20. et adeat BORGERI *Interpret. Ep.* PAULI *ad Galatas* p. 238, 239. POTTII *Comm. in Ep.* JAC. p. 249. ed. 2 aliosque scriptores. Neque hanc dicendi rationem JOANNI inusitatam fuisse, satis superque docebunt ejus verba Cap. II: 22 et XX: 9.

Sed verâ hujus loci interpretatione, uti speramus, probatâ aque contradictionibus vindicatâ, omnis disputandi causa nondum plane sublata est. Restat praesertim magna quaestio, quomodo, si verba ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ cum praecedentibus conjungimus, trium horum versuum cohaereat oratio. Cui cum ante annos aliquot, hunc locum in scholâ meâ interpretaturus, neque ab HERWERDE-

NO, neque a TITTMANNO satisfactum videbam, in mentem mihi venit, JOANNI hanc tribuere sententiam: *Cum sentiret* JESUS *vitae suae finem proxime instare, seque omnia nunc consummasse, quae sibi, ut exitum haberent sacrarum literarum vaticinationes, his in terris consummanda essent; hoc proposito se sitire dixit, ut humectando ore spiritum remissum et prope exstinctum, ad hunc suum factae consummationis sensum altâ voce eloquendum, paulisper restitueret. Quod igitur animi sui propositum, postquam nonnihil humoris imbiberat, confestim perfecit, exclamans: consummata sunt.* Sic tunc fere sententiam JOANNIS definivi. Nuper autem, priusquam hanc interpretationem publici juris facerem, praeter alia scripta, RENSINGII quoque inspiciens commentationem, hunc jam occupasse comperi, quae a mente meâ prope abessent. Et PALMIUS, et pauci fortasse alii, eandem viam ingressi sunt. Quâtenus ab illis differam, lectoris judicio dare, quam invidiose ostentare malo. At hoc certe mihi relictum est, ut interpretationem, a me propositam, uno, si pote, alteroque argumento commendarem.

Duo nobis esse videntur, quibus hanc tueamur interpretationem, alterum gravius, alterum haud omnino spernendum. Gravius argumentum nobis praebet universae orationis, quae in tribus hisce versibus cernitur, continuata series. JOANNES enim nobis enarrans, ex vasculo cruci adstante humorem ori JESU admotum et ab eo acceptum esse,

se,

se, nonne satis aperte significat, hunc ipsum, *ut porrigeretur sibi*, *quo sitim expleret*, dixisse διψῶ? Quod JESU propositum quin tempori convenientissimum fuerit, nemo dubitabit. Rectissime jam STRIGELIUS: „ Ingentes dolores cordis urunt „ cor et pulmonem, et optimos succos in toto cor„ pore et medullam in ossibus desiccant." Et sitim maxime in iis, qui crucis supplicium subeant, tam vehementem esse solere, ut vocem vix faucibus emittere possint, omnium testimonio constat (*). Cur igitur, quasi vitae JESU scriptore et teste oculato acutiores esse velimus, aliud ei, se sitire querenti, consilium tribuemus, quam ut os humectaret? Eum autem sitim explere voluisse, non ut voluptate frueretur se reficiendi, sed ut, quod sentiret, omnia nempe consummata esse, altâ voce eloqueretur, ex narrationis itidem tenore colligimus. Nam satis manifestum esse videtur, JOANNEM sententiam *εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται* cum verbo repetito *τετέλεσται* ita copulasse, ut et sensum consummationis omnium in JESU fuisse, et hunc eundem sensum ab eo declaratum esse commonstraret. Et talia sunt verba, quae ab initio vers. 30 legimus: *ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος ὁ Ἰησοῦς*, ut verâ suâ et genuinâ notione priventur, nisi JOANNEM narrantem faciamus, JESUM se petendo potu et bibendo ad sententiam animi eloquendam praeparasse. Fatemur quidem, quod sumimus, istud *consummata sunt* intento ore pronunci-

(*) Cf. KENSINGIUS l. c. p. 91, 94, 126, 127.

ciatum esse, nostrâ niti conjecturâ, non auctoritate JOANNIS; sed hoc valde probabiliter effici posse putamus ex iis, quae ceteri nobis narrant Euangelistae, *Matth. XXVII*: 50. *Marc. XV*: 37. *Luc. XXIII*: 46: ubi morientem JESUM altâ voce usum esse traditur. Quod etiamsi referendum tantum sit ad verba ejus suprema: Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παραθήσομαί τὸ πνεῦμα μου; nulla tamen causa est, cur ille Deum altâ voce allocutus esse censeatur, submissâ vero voce protulisse, quod declararet hominibus.

Minus grave, nec tamen omnino praetermittendum est, hanc interpretationem ita comparatam esse, ut haud sciam, an in divinam JESU personam multo magis quadret, quam ulla alia. Scrupulosam ei sedulitatem in rebus parvis et minutis vulgari interpretum sententiâ adscribi, supra monuimus. Qui eum autem sitis explendae causâ potum petiisse et hausisse existimant; Servatori illi generis humani nihil tribuunt, quo supra mortalium vulgus excelluerit. Vide vero, si JOANNIS oratio ex nostrâ mente exponitur, quam ille se omnibus majorem praestet et superiorem. Ecce! in ipso mortis articulo non tantum se diem obiturum esse sentit, sed omnia novit tum agendo, tum patiendo â se peracta esse, quorum causâ his in terris lucem vidisset. Novit igitur non tantum, se nullius culpae sibi conscium hac ex vitâ excedere, sed, quod caput rei est, toti se generi humano verae et aeternae beatitatis viam muniisse. Jam vero, priusquam

quam animam efflat, hanc scientiam et persuasionem suam, quo maximum aequalibus et posteris solatium miseriae rectique et honesti incitamentum adhibeat, coram populo cruci adstante ex intimis expromere cupit. Sed vis eheu! sibi vocis, ut ab omnibus audiretur, emittendae, sitis vehementiâ ablata est. Quid ergo unus ille salutis auctor? Nimirum siti medicinam quaerit, eâque acceptâ, omnia nunc ab eo consummata esse, expresse pronunciat. Mox eâdem vocis gravitate Deo Patri suo mentem suam committit. Atque hoc utroque effato quanta sibi insit et animi tranquillitas, et operis rite perfecti conscientia, in ipsâ morte palam et publice declarat.

Joann. XIX : 36, 37.

Ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ. Καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει· ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

Quemadmodum viri docti depravata Scriptorum Graecorum et Romanorum loca, quibus libri scripti nullam praebent medicinam, ingenii sui conjecturâ ad sanitatem revocare solent; sic jam ab antiquo multi ea N. T. loca, quae sibi affecta videbantur, sanare conati sunt (*). Quod quamvis imperiti et superstitiosi homines nefas esse clamarunt; prudentiorum tamen judicum voce et gravitate factum est, ut omnis tandem invidia ab hoc negotio removeretur (**). Atque in N. quoque T. exstare posse loca, quorum vera et genuina scriptio non amplius in libris appareat, quis quaeso negare sustinebit, qui tum testium illius scriptionis, qui seculo II. medio antiquiores sint, paucitatem secum reputaverit, tum audaciam et negligen-

(*) Vulgo cognita est collectio harum conjecturarum, quae reperitur in BOWEIJERI libro, *Konjekturen über das N. T.*, procurato ab J. C. F. SCHULZIO. Viros doctos autem, qui hoc in labore maxime ingenium exercuerunt, recenset BERTHOLDT l. c. Tom. I. p. 390, 391.

(**) Cf. praeter alios SEGAARII oratio *de Critice in divinis N. T. libris, aeque ac in humanis, sed circumspecte et modeste etiamnum exercenda*: quam laudavit VOORSTIUS in *Annotationum in loc. Select. N. T. Spec. III.* p. 121, ipse prudentem conjecturarum usum approbans.

gentiam, a librariis saepe in describendis exemplis commissam: de quâ viri, his in studiis versati, graviter questi sunt, post alios omnes nuperrime SCHOLZIUS (*)? Ab alterâ quidem parte monent doctores *Critices*, multitudinem veterum N. T. exemplorum, quae ad nostram aetatem pervenerint, longe angustiorem ingenio reliquisse locum, quam interpretibus scriptorum exterorum pateat, et spe suâ idcirco plerumque cecidisse, qui libris illis conjectando priscam integritatem restituere anniterentur; at vel sic tamen quemvis ad vires suas hac in re sobrie et modeste periclitandas etiam atque etiam exhortantur (**). Quae cum ita sint, in neminis, uti spero, reprehensionem incurram, si verba JOANNIS, supra descripta, talia esse dixero, quae medicinam sibi postulare videantur, in libris adhuc frustra quaesitam. Hunc locum nempe sic distinguendum et scribendum esse puto: Ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ· καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ, ἣ λέγει· ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Haec autem conjectura, videamus, an ita defendi possit, ut a judicibus aequis ac peritis causam haud plane improbabilem in me suscepisse censear.

Duo sunt, quibus haec scriptio a vulgari editione differat: verba paulo aliter distinguimus, iisque Ar-

(*) *Curae criticae in Histor. Textus Euangeliorum* p. 10-12, 18.

(**) Legatur inprimis MICHAËLIS *Inleid. in de Godl. Schrift. van het N. T.* Tom. I. Part. 2. p. 1181 sqq.

Articulum postpositivum ἣ adjicimus. Distinctionem autem, quippe diu post Apostolorum tempora ad N. T. libros demum perlatam, haud raro mutandam esse, inter omnes constat, et infra nonnullis exemplis confirmabimus. Adjectio vocis ἣ, uti per se facilis et lenis est, sic multum commendationis habet in voce praecedente *γραφή*. Nam dici non potest, quam saepe vocabulorum, eandem in literam desinentium, si juxta se collocata erant, unum alterumve librariorum oculos subterfugerit, atque, illo perperam ex oratione expulso, hujus quoque vera distinctio perierit. Unde factum est, ut viri docti, hujusmodi vocabula orationi restituentes, plurimis veterum scriptorum locis medicinam afferrent. Et ipsa illa litera η quam temere plus semel, eâdem literâ praecedente vel sequente, ex libris exciderit, hac datâ occasione ita ostendere lubet, ut et conjecturae supra propositae fidem faciamus, et simul unum alterumque locum corrigamus.

Plutarchus *Opp. Mor.* p. 82. B. XVI. postquam Diogenem induxit monentem, qui salutem consequi velit, aut amicum probum, aut inimicum infensum, ut vel reprehensus vel correctus vitio liberetur, quaerere debere; sic porro procedit: *Ἄχρι δὲ οὗ τις ἐπιδεικνύμενος ῥύπον ἢ κυλίδα* (l. *κηλῖδα*) *χιτῶνος, ἢ διεῤῥωγὸς ὑπόδημα, καλλωπίζεται πρὸς τοὺς ἐκτὸς, ἀτυφίᾳ κενῇ διασκώπτων αὑτὸς ἑαυτὸν ὡς μικρὸν ἢ ὡς κυρτὸν οἴεται νεανιεύεσθαι, τὰ δ᾽ ἐντὸς αἴσχη τῆς ψυχῆς καὶ τὰ περὶ τὸν βίον ἐγχρέμματα καὶ φθόνους καὶ κακοηθείας καὶ μικρολογίας καὶ φιληδονίας*

δονίας ὥσπερ ἕλκη περιστέλλων καὶ ἀποκρύπτων, οὐδένα θίγειν, οὐδὲ προσιδεῖν ἐᾷ, δεδιὼς τὸν ἔλεγχον, ὀλίγον αὐτῷ προκοπῆς μέτεστι, μᾶλλον δὲ οὐθέν. Quae sic vertendo reddidit interpres Latinus: *Ubi vero sordes aliquis maculamve ostentans vestis, aut ruptum calceum, venditat se aliis, existimatque se praeclari aliquid praestare, si vanâ fastus vacuitate suam staturae humilitatem aut curvitatem ipse dicteriis notet: interim vero animae turpitudinem, et ulcera, puta vitae offensas, invidiam, malignitatem, avaritiam, libidinem, velat atque occultat, metuque reprehensionis neminem ea videre aut contrectare patitur: certe hunc parum aut nihil potius profecisse censendum est.* Sensum quidem probabilem haec habet interpretatio, nec tamen expressum ad exempli Graeci orationem, quae, quamvis WYTTENBACHIO aliisque PLUTARCHI editoribus in suspicionem venisse non videtur, attamen, nisi egregie fallor, stare nequit, sed ita corrigenda est, ut pro *κενῇ διασκώπτων* scribatur *κενῇ, ἢ διασκώπτων.* Primum enim vestimenti sordidi calceique rupti ostentatio et jactatio staturae humilitate vel curvitate deformis, duo sunt, quae ita inter se differunt, ut alterum sine altero in homine esse possit. Unde sequitur, si Plutarcho diversorum confusionem affingere nolimus, Participio *διασκώπτων* praefigendam esse vocem *ἢ*, quâ alterum ab altero distinguatur. Atque hac orationi inserendâ PLUTARCHO reddi, quod ab eo profectum sit, neminem fugiet, qui in locum interpretationis vulgaris hanc substituerit: *Ubi vero sordes aliquis maculamve*

vestis aut ruptum calceum ostentans, vanâ se aliis venditat modestiâ, vel ipse staturae suae humilitatem aut curvitatem dicteriis notans, se aliquid praeclari praestare existimat, interim vero cet. Quam interpretationem ut postulat res ipsa, ab auctore tractata; sic etiam Participio διασκώπτων Conjunctionem ἢ praeponere jubet Grammatica. Verba enim καλλωπίζεται et οἴεται uni Pronomini τὶς subjici nequeunt, nisi haec similisve copulationis nota iis interponitur.

Ut PLUTARCHO mentem suam restituimus; sic corrigenda videtur vulgaris scriptio *Sirach. IV*: 10: Γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς τῇ μητρὶ αὐτῶν· καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς Ὑψίστου, καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἡ μήτηρ σου, quam probarunt etiam recentiores hujus libri editores, LINDIUS et AUGUSTUS. Postrema enim hujus loci verba sensum praebent ab hoc loco satis alienum, si proxime praecedentia cum GROTIO aliisque praeclaris viris interpretamur: *Tam carus eris Deo, quam filius patri est.* At vide, quam egregie altera sententia alteri respondeat, si Adverbium comparandi huic orationi adjicientes legimus: καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ ἡ μήτηρ σου. i. e. *et te magis amabit*, scilicet Deus, *quam mater tua.* Cui correctioni prius quoque hujus versus membrum insigniter favet. Nam si auctor praecepto: *Pupillis pro patre esto*, quo magis ad illud observandum lectores suos excitaret, hanc promissionem subjunxit: *Tibi quoque Deus pro patre erit;* nonne credibile est, eum praecepto alteri: *viduae pro ma-*

marito esto, subjunxisse: *Magis te amabit Deus, quam te amat mater tua?* Sed cur longus sim? Sequor auctoritatem exempli *Complutensis*, et interpretis *Latini*, a quibus et propius, quam a vulgari hujus libri editione, absunt *Syrus* et *Arabs*.

Exemplis adhuc usi sumus locorum, ubi Adverbium vel Conjunctio ἤ orationi deest, non vero postpositivus, quem JOANNI restituere volumus, Articulus ἡ. Sed ad probandam conjecturam nostram parum vel nihil refert, utrius omissionis exempla proferantur: cum antiquissimo tempore librarii, ut nemini ignotum est, vocabula sine Accentibus et Spiritibus scripserint. Vide MONTFAUC. *Palaeographia Graeca* p. 284 sqq. Fortasse et in N. T. exstant loca, unde vocabulum ἤ vel ἡ, praecedente vel sequente eâdem literâ, exciderit: at nos tamen ea reperire nunc non meminimus. Levioris ponderis esse videtur conjectura BENTLEJI apud WETSTENIUM, PAULUM 1 *Cor. VII*: 11 scripsisse: Ἐὰν δὲ καὶ χωρισθῇ, ἢ μενέτω ἄγαμος κ. τ. λ., sed librarios vocem ἢ oratione expulisse. Mihi contra aliquando incidit suspicio, pro ἡ νίκη ἡ νικήσασα 1 *Joann. V*: 4 substituendum esse ἡ νίκη νικήσασα, quemadmodum apud AELIAN. *Varr. Hist.* Lib. VIII. cap. 15 legimus: Τοὺς Ἀθηναίους νίκῃ ἐνίκησε Φίλιππος: sed neque hoc valde urgeo. Multo certius est, interpretis *Alex.* verba *Ezech. XIV*: 13: Γῆ ἡ ἐὰν ἁμάρτῃ sic corrigenda esse, ut deleatur Articulus ἡ, temere iis insertus. Cf. praeter *Codic.* hujus interpretationis

Alexandrinum, auctor *Constit. Apost.* Lib. II. cap. 14. Verum hanc rem nunc non agimus. Et quid morer in locis, ubi librariorum negligentia literam η omisit? Plura qui cupit exempla, adeat LUCIANI Opp. Tom. I. p. 507. Tom. II. p. 554 REITZ. FLAV. JOSEPH. Opp. Tom. II. p. 287 HAVERCAMP. WYTTENB. *ad Plat. Phaedon.* p. 314, 315. SEGAAR. ad CLEM. *Alex. libr. Quis dives salutem consequi possit.* p. 309 aliosque.

Itaque cum librarios Articulum ἡ ex JOANNIS oratione ejecisse putamus, eundem plane iis adscribimus errorem, qui se frequenter in antiquis prodit exemplis. Nostrae autem sententiae vide an nonnihil ponderis accedat ex libris, a WETSTENIO et GRIESBACHIO notatis: ita ut illi vestigia scriptionis rectae et genuinae servasse censendi sint. Etiamsi vero exemplorum illorum auctores, cum a vulgari scriptione discedebant, suae tantum opinioni servierint; hinc tamen elucet, jam ab antiquo offensioni fuisse, quod nunc plerisque in libris legitur. Sed imprimis provocamus ad testimonium, a WETSTENIO et GRIESBACHIO non memoratum, interpretis nempe *Syri* antiquissimi, a quo editum reperimus: ܘܬܘܒ ܟܬܒܐ ܐܚܪܢܐ ܕܐܡܪ:

i. e. *et rursus scriptura alia*, *quae dicit.* Hic igitur se in Graecis, quos sequebatur, libris legisse prodit: καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ, ἣ λέγει: quae ipsa illa scriptio est, quam JOANNI restituendam esse conjecimus. Atque hanc interpretationem non ab emen-

emendatoris cujusdam, sed a *Syri* manu profectam esse, *Versiones* docent ad ejus exemplum confectae *Persica* et *Arabica* Polyg.: nisi illa sola hunc interpretem secuta sit; haec vero, quippe magnam partem aliunde composita, scriptioni ἢ λέγει auctoritatem praebeat novam, neque ab istius interpretis fide pendentem. Attamen, uti SYRUS versui 36 ex ingenio suo adscripsit ܘܐܡܪ, sic fieri potuisse fatendum est, ut hîc itidem, verbum λέγει vertendo reddens, ac si scriptum reperisset ἢ λέγει, ingenii sui indulgeret luxuriae.

Pervenimus ad indicandam causam, cur nobis editio vulgaris corrigenda videatur. Quae cum in oratione resideat, huic loco contextâ, breviter ea nunc lustranda est. JOANNES igitur, missione militum, qui curarent, ut supplicium crucis consummaretur, memoratâ, obiter vers. 32 tradit, quid fecerint illi latronibus, a dextrâ et sinistrâ JESU de cruce pendentibus. Deinde verss. 33, 34 duo evenisse narrat, notatu dignissima, et ossa JESU non contusa esse, et latus ejus ita esse perfossum, ut sanguis unâ et aqua ex eo profluerent (*). Quibus ne fidem habere recusent lectores, vers. 35, ea vera esse, gravi asseveratione confirmat. Tunc porro vers. 36 ad vatum divinorum

(*) De verbo νύσσω, quod recentiori memoriâ nonnulli male interpretati sunt, legatur RENSINGIUS l. c. p. 123. Vim verbi ἐκκεντέω vers. 37, quod cum eo permutatur, praeter alios in luce posuit DE RHOER *Feriae Daventriens.* p. 13.

rum auctoritatem ita provocare incipit: Ἐγένετο γὰρ ταῦτα. Jam vox ταῦτα etiamsi in libris Graecorum nonnunquam pro τοῦτο usurpetur, me tamen in N. T. *pluralem* numerum hujus Pronominis pro *singulari* scriptum legere non memini. Alicubi quidem τοῦτο et ταῦτα primâ fronte permutari videntur, uti 1 *Cor. VI*: 6, 8: sed priori in loco PAULUS de unâ re loquitur, in posteriori de pluribus. Cf. vers. 11 et X: 6. Ita et plurale τούτων 3 *Joann.* 4 pro singulari ταύτης dicitur, quoniam, ut apparet ex seqq. ἵνα ἀκούω τὰ ἐμὰ τέκνα ἐν ἀληθείᾳ περιπατοῦντα, hoc scribens auctor plura in mente habuit. Hoc autem loco ταῦτα pro τοῦτο dici non potuisse, verba docent huic Pronomini subjecta: ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ: quippe quae non ad partem narrationis proxime praecedentem vers. 34, sed ad remotiorem vers. 33 respiciunt. Itaque vox ταῦτα a JOANNE scripta est, ut rem confirmaret utramque, verss. 33, 34 a se propositam. Quod recte jam vidit AUGUSTIN. in *Comm.* ad h. l. scribens: „ Duo testimonia de scripturis „ reddidit singulis rebus, quas factas fuisse narra„ vit. Nam quia dixerat: *Ad* JESUM *autem cum* „ *venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non* „ *fregerunt ejus crura*, ad hoc pertinet testimo„ nium: *os non comminuetis ex eo.* ——— Item „ quia subjunxerat dicens: *Sed unus militum lan*„ *ceâ latus ejus aperuit*, ad hoc pertinet alterum „ testimonium: *videbunt in quem confixerunt.*" Jam vero si haec se bene habent, non intelligimus, quomodo ferri possit vulgaris hujus loci editio, quae

quae JOANNEM duo quidem facit V. T. dicta excitantem, sed alterum eorum ita, ac si plane non requiratur ad orationem ejus absolvendam. Qui enim dicat: Καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει κ. τ. λ., satis manifestum est, praecedentibus adjicere, quod sine damno ab iis absit. Si quis opinatur, negligentiam sermonis, Hellenistis propriam, fecisse, ut JOANNES pro iis, quae illi restituere volumus, haec scriberet; vehementer dubito, num N. T. libri similia, quibus haec opinio comprobetur, suppeditent loca. At scriptio, a nobis auctori tributa, quam egregie aberrationem a ratiocinandi lege corrigat, docebit, uti speramus, haec verss. 36, 37 interpretatio: *Facta haec duo sunt, ut ad exitum veniret, tum haec vox* MOSIS: *Nullum os ejus frangetur; tum etiam, quod alius continet V. T. locus: Videbunt eum, quem transfixerunt.* Putamus nempe, in verbis: Καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ *Ellipsin* esse, formulâ ἵνα πληρωθῇ ex vers. superiori repetitâ supplendam. Quam uti breviloquentiam omnes omnium hominum sermones communem habent; sic ea in N. T. haud prorsus incognita est: ut apparet ex *Hebr. I*: 5, ubi voci πάλιν ex priori versus membro adjici debet τίνι εἶπε: quemadmodum Cap. II: 13 eidem Adverbio πάλιν ex vers. 11 adjiciendum est Participium λέγων. Cf. GLASS. l. c. Tom. I. p. 632 sqq. Et similis *Ellipsis* apud scriptores veteres Christianos saepe reperitur. Vide *Constit. Apost.* Lib. II. cap. 15, 18. Lib. III. cap. 15. CHRYSOST. Opp. Tom. III. p. 25 B. His autem in locis Adverbium πάλιν ver-

 ten-

tendo reddendum est *rursus* vel *itidem:* quam eandem notionem non solum passim in N. T. habet, sed etiam aliorum in libris. En TELETIS verba apud STOBAEUM Serm. V. Tom. I. p. 159, 160. ed. GAISFORD: *Διογένης λαβὼν αὐτὸν, ἦγεν εἰς τὸ μυροπωλεῖον. — — Ἀπῆγεν αὐτὸν πάλιν εἰς τὸ μαγειρεῖον. — Εἰς τὰ ἔρια πάλιν τὰ μαλακά. — — Πάλιν εἰς τὰς ἰσχάδας κ. τ. λ.* Cum JOANNIS oratione magis conveniunt verba CLEMENTIS *Alex. Strom.* Lib. VI. cap. 6: *Ἰσίδωρος — — ἐν τῷ πρώτῳ τῶν προφητοῦ Πάρχωρ ἐξηγητικῶν, καὶ αὐτὸς κατὰ λέξιν γράφει. — — Καὶ πάλιν ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς αὐτῆς συντάξεως ὧδέ πως γράφει.* Verum hoc tralaticium est. Cff. HOOGEVEENII *Doctrina Partic. Ling. Graec.* Tom. II. p. 1032, 1033. SCHOTT. *Opusc.* ll. Tom. II. p. 269, 270 aliique. Ceterum haud scio, an conjecturae nostrae faveat admonitio GERSDORFII l. c. p. 492, JOANNEM Adverbium *πάλιν* verbo crebrius postponere, quam praeponere.

Restat, ut ostendamus, scriptionem, quam proposuimus, consilio etiam JOANNIS apprime convenire. Quo de consilio auctoris nonnullos interpretes parcius disputaturos fuisse existimo, si sensum vers. 35, qui ad enarrata verss. 33, 34 spectat, omnino assecuti essent. Est quidem orationis structura paulo impeditior, quoniam verba: *κἀκεῖνος οἶδεν, ὅτι ἀληθῆ λέγει, ἵνα καὶ* (*) *ὑμεῖς πιστεύσητε*

(*) Particulam *καὶ* cum GRIESB. aliisque ad librorum bonorum et antiquorum fidem JOANNI restituimus.

στεύσητε, inter se minus cohaerent: sed explicatur nodus, si hanc sententiae conclusionem: ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύσητε, asseverandi formulis: καὶ ἀληθινὴ αὐτοῦ ἐστιν ἡ μαρτυρία, κἀκεῖνος οἶδεν, ὅτι ἀληθῆ λέγει (*), in Parenthesi positis, cum praecedente dictione: καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε copulamus. Interjectionum hujus generis, quarum in scriptis veterum insignis exstat copia, nonnulla exempla infra in medium afferentur. Verba autem ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύσητε, utrum exponi debeant: *ut et vos credatis, eum vere mortuum esse*, an vero *ut et vos credatis, eum esse Messiam*, i. e. *ut vos aeque ac testes harum rerum oculati* cet., minus fortasse in disceptationem vocatum esset, si animadvertissent omnes, his in libris verbo πιστεύω, ubi nihil ei ap-

(*) Obiter laudanda est dicendi copia et ubertas, quae hac in sententiâ cernitur. Similiter verbis abundant *Joann. I:* 20: Καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο, καὶ ὡμολόγησε et alia N. T. loca. Atque hac Ἐξεργασίᾳ, quam imperiti homines saepe infausto ταυτολογίας nomine insigniunt, elegantissimi utuntur poëtae et oratores, quo diutius auditorum vel lectorum animos in re aliquâ magni ponderis detineant. SOPHOCL. *Oedip. Tyr.* v. 59, 60:

Ὦ παῖδες οἰκτροί, γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι
Προσήλθεθ' ἱμείροντες.

EURIPID. *Hec.* v. 185:

Ἐξαύδα, μὴ κρύψῃς δάρον.

DEMOSTH. *Orat. II. adv.* PHILIPP p. 73 REISK. Ἐγὼ νὴ τοὺς Θεοὺς τἀληθῆ μετὰ παῤῥησίας ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι. CICERO *in* VERR. Act. II Lib. I. cap. I: *Patior, judices! et non moleste fero, me laboris mei, vos virtutis vestrae fructum esse laturos.* Alia exempla praebet VALCKEN. in *Schol.* Tom. I. p. 498, 499.

appositum est, fidem JESU *Messiae* habendam denotari. Nec tamen improbandam puto plerorumque interpretum sententiam, cui calculum adjecerunt KUIN. et TITTM., JOANNEM testando et asseverando id unum egisse, ut de morte JESU lectoribus suis certo persuaderet (*). Qui enim cum GABLERO aliisque, a KUIN. memoratis, auctorem id sibi proposuisse opinantur, ut vaticinia V. T. eventum nacta esse affirmaret, non solum judicio ejus injuriam afferunt, sed nullo etiam modo seriem perspiciunt orationis. Videlicet fingit sibi JOANNES, a quibus sic interpellatur: Verum quid istud miraculi: nonne satius fuisset JESU eadem pati, quae pateretur uterque latro? At quo hunc scrupulum ex animis eximat, monet ille, haec duo haud sine providentiâ Dei JESU accidisse, alterum, ut in eo, agno illo peccata expiante, esset, quod agni Paschalis imaginem referret, alterum, ut aliquando in eodem maxime conspicuum foret, quod vaticinatus esset ZACHARIAS: ex quo utroque nempe ipsum vere subiisse mortem, quin etiam pro *Messia* habendum esse eluceret.

(*) Minus bene tamen KUIN. monuit vocem γὰρ, uti alibi, sic hoc loco meram esse particulam transeundi. Hic enim ea ad nexum orationis requiritur: ceterum pace multorum virorum doctissimorum mihi persuasum habeo, hanc particulam nusquam ita usurpari, ut vim suam propriam et genuinam amittat, sed ubique Conjunctionem, quam ajunt, *causalem* esse, iis etiam in locis, ubi aliis sermonibus desit vocabulum, quod ei respondeat. Sed hanc sententiam nunc defendere vetat hujus loci exiguitas. Cff. ZEUN. et HERM. ad VIGER. p. 496, 829, 845 alib.

Act. I: 26.

Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν, καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων.

Sectatores CHRISTI, a PETRO admoniti, ut locum JUDAE proditoris, qui Apostoli munere excidisset, vicario supplerent, duos statuunt viros, familiari antea consuetudine JESU usos, JOSEPHUM et MATTHIAM, quorum alterutri haec provincia sorte assignetur. His autem in medio collocatis precantur, ut providentia Divina sortem dirigat et ostendat, utrum istorum in vices ejus succedere velit, quem stationem suam deseruisse ajunt, *ut in locum damnatorum sibi constitutum abiret*. Sic enim in Cap. supra adscripto postrema verba vers. 25 explicanda esse, et aliunde novimus, et apparet ex 1 *Macc. I*: 8, ubi de ALEXANDRO M. legimus: Καὶ ἐπεκράτησαν οἱ παῖδες αὐτοῦ ἕκαστος ἐν τῷ τόπῳ αὐτοῦ. i. e. *Unusquisque eorum locum sibi constitutum occupavit:* nec non ex EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. III. cap. 36, ubi de Apostolis aliisque viris piis, qui CHRISTI causâ supplicium perpessi sunt, sic loquitur auctor: Ὅτι εἰς τὸν ὀφειλόμενον αὐτοῖς τόπον εἰσὶ παρὰ Κυρίῳ, ᾧ καὶ συνέπαθον. Quem locum jam praeter alia excitasse video KUIN. Cff. BEAUSOBR. et WETST. ad h. l. Quare carere possumus conjecturis, quas viri docti ad emendandam scriptionem vulgo editam in medium attulerunt: uti VENEMA in

J.

J. H. VERSCHUIRII *Opuscula. Edid. atque animadvers. adjecit* J. A. LOTZE p. 379. Jam vero, quid, his factis precibus, nunc porro a sectatoribus CHRISTI actum sit, inter se disputant interpretes. MOSHEMIUS in *Commentariis de rebus Christianorum ante* CONSTANTINUM *Magnum.* p. 79 prima hujus versus verba, Spiritu leni in asperum mutato, sic legenda esse censuit: Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὑτῶν, quae ab eo exponuntur: *Et qui praesentes aderant, dabant suffragia sua.* Sed primum valde dubito, num hanc interpretationem formulae διδόναι κλήρους loquendi patiatur usus, inter Hellenistas LUCAE aetate tritus. Deinde interpretationi illi, ut bene monuit ROSENM. in *Schol.* ad h. l., sine controversiâ obstant verba proxime sequentia: ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν: nisi quis temere sumserit, auctorem singulari numero pro plurali usum esse. Et, ne plura disputém, profecto mirandum est, viro eximio placere potuisse opinionem, quâ inter religionis Christianae doctores divinitus vocatos et hominum suffragiis creatos, omne discrimen plane tolleretur.

Rectissime igitur plerique interpretes, tam recentiores quam antiquiores, de eo inter se consentiunt, MATTHIAM ad Apostoli munus *sorte* electum esse. Alii tamen, quomodo homines illi Christiani sortiti sint, se ignorare fatentur: alii sortitionem ab iis eodem modo atque a Graecis et Romanis peractam esse autumant. Ingeniose more suo GROTIUS hanc rem sic definivit: „ Conjecerunt

„ no-

„ nomina eorum in urnam, et in alteram urnam al-
„ teram schedam inscriptum habentem nomen *Apo-*
„ *stolus*, alteram schedam vacuam: deinde ex u-
„ traque urna pariter eduxere binas schedas, ut in
„ divisione terrae." Hanc autem similemve sortitionem Hebraeis haud incognitam fuisse (*), Judaeorum nobis tradunt doctores: uti auctor *Codicis Jomae* Cap. IV. §. 1. scribens, Pontificem maximum solenni expiationis die urnam concussisse, exque eâ utriusque hirci sortem eruisse: quod testimonium ab aliis confirmatur. Cff. annot. SHERINGHAMII ad h. l. et SIGONIUS *de Republ. Ebraeorum*. Lib. IV. cap. 12. Quid? quod hanc sortiendi rationem apud eos more receptam fuisse, aliunde quoque colligere possumus. Non solum enim ea inter alios quoque populos viguit Orientales, uti docet VALCKEN. ad HERODOT. Lib. III. cap. 128; sed ejus etiam vestigia satis clara in Hebraeorum libris reperiuntur. Qui enim scribit יָצָא הַגּוֹרָל et ἐξῆλθεν ὁ κλῆρος, uti auctor 1 *Chron.* XXV: 9 et XXVI: 14, ejusque interpres Graecus, vel ὁ τῆς Βενιαμίτιδος κλῆρος ἐξέπεσε, quod habet JOSEPH. *Antiq. Jud.* Lib. VI. cap. 4, lectori mentem injicit, ex urnâ, galeâ, hydriâ, situlâ aliove vase sortem excussam esse. Cf. STEPHAN. *Thes.* Tom. II. p. 239. Haec autem loca si quis forte ad LU-

CAE

(*) Nec tamen negamus, Hebraeos talis quoque et tesseris ad sortitionem usos esse. Sed et hoc cum iis commune habuerunt gentes exterae. Vide SPANHEM. ad CALLIMACHI *Hymn. in Apoll.* v. 45., interpretes CICERONIS *de divinat.* Lib. II. cap. 41 aliosque.

CAE orationem explicandam minus valere putat, quoniam ille formulâ utitur: ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν; iterum, quaeso, inspiciat 1 *Chron. XXVI*: 14, ubi formula יִּפֹּל הַגּוֹרָל לִשֶׁלֶמְיָהוּ et ἔπεσεν ὁ κλῆρος τῷ Σελεμίᾳ cum modo excitatâ יֵצֵא הַגּוֹרָל et ἐξῆλθεν ὁ κλῆρος permutatur. Unde tamen nihil aliud sequitur, quam LUCAM, quamvis de sorte loqueretur ex vase exeunte, salvo dicendi usu ita scribere potuisse. Ceterum vero verba πίπτειν ἐπί τινα, et hîc, et alibi, significare *obtingere alicui*, praeter alios docuit PALAIRET *Obscrv. Philol- Critic. in Sacr. N. T. libros* ad h. l.

Qui adhuc disputatis assentiuntur, spero fore, ut etiam concedant nobis, interpretes tantum non omnes (*), quid LUCAS ab hujus vers. initio voluisset scribendo: Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, minus intellexisse. Nimirum communi prope consensu haec verba explicant: *Et jecerunt sortes eorum:* quod haud ita pridem probarunt MORUS *Vers. et Explic. Act. Apost. ed.* DINDORFII ad h. l. SCHOTT. HEINRICHS. KUIN. aliique. *Jaciendi* autem notionem ut vindicent verbo δίδωμι, provocare solent ad *Lev. XVI*: 8, ubi verbum Hebraicum נָתַן vertendo reddunt *jaciet*. Sed huic sententiae neque interpres favet *Alex.*, nec *Paraphrast. Chald.*, quorum alter ἐπιθήσει, alter יִתֵּן scripsit.

Prae-

(*) Cff. CALVIN. ad h. l. quique eum sequitur MARLORAT., nec non ECKERMANN l. c. ad h. l.

Praeterea monendum est, non ita constitutam esse orationem MOSIS, ut a propriâ et vulgari notione verbi נָתַן discedere cogamur. Versum adscribamus integrum: וְנָתַן אַהֲרֹן עַל־שְׁנֵי הַשְּׂעִירִם גֹּרָלוֹת גּוֹרָל אֶחָד לַיהוָה וְגוֹרָל אֶחָד לַעֲזָאזֵל: quae in *Bibl. Polygl.* sic ad literam vertendo reddita sunt: *Et dabit Aharon super ambos hircos sortes: sortem unam Domino, et sortem unam Ghazazel.* Hinc vero quid impedit, quominus hanc eruamus interpretationem magis Latinam: *Et distribuet Aäron inter utrumque hircum sortes, ita ut sors altera cedat Jehovae, altera Azazeli?* Intelligitur quidem hac ex sententiâ sortis jactus, nec tamen ille expressus est verbo נָתַן: a quo cum pendeant vocabula לַיהוָה et לַעֲזָאזֵל, valde probabile est, istud, quemadmodum aliis in locis, ubi ei nomen Substantivum cum Praepositione ל subjungitur, significationem *dandi* vel *distribuendi* retinere. Ita fortasse PHILO *Judaeus* quoque hoc verbum accepit, scribens Lib. II. *Leg. Allegor.* Vol. I. p. 75 MANG. Οὐχ ὁρᾷς, ὅτι καὶ τῇ δεκάτῃ τοῦ μηνὸς κελεύει δύο τράγους κλῆρον προσάγειν, κλῆρον ἕνα τῷ Κυρίῳ, καὶ κλῆρον ἕνα τῷ ἀποπομπαίῳ i. e. *Nonne* (legem) *jubere vides, decimo mensis die duos hirios sortem adducere* vel facere, *sortem alteram Jehovae, et alteram sortem emissario.* Sed magni ponderis nobis esse videntur verba, quae in *Gemara Sanhedrin* Cap. 1 de Pontifice maximo legimus: בללן ונתנן בקלפי i. e. *Permiscuit eas,* scil sortes, *et dedit eas in urnam* vel *imposuit urnae.* Quamquam enim haec interpretatio orationis

nis Mosaicae nonnihil discrepat ab eâ, quam modo proposuimus; hinc tamen apparet, Judaeos veteres verbum נתן, quo scriptor antiquissimus ibi usus esset, de sortium *jactu* non accepisse. Cf. CARPZOV. ad GOODWINI *Mosen et Aäronem*. Lib. III. cap. 8. §. 4. Verum sumamus, *jaciendi* notionem urgeri posse; quid ex eo sequitur? nimirum causam ejus quaerendam esse in adjunctis עַל - שְׁנֵי הַשְּׂעִירִם: atqui haec vel similia cum non reperiantur in oratione LUCAE, temere agere interpretes, qui verbum ἔδωκαν vertendo reddant *jecerunt*.

Itaque et hoc LUCAE loco persistendum est in *dandi* notione: quae uti verbo δίδωμι propria et vulgaris est; sic insigniter commendatur sequenti Pronomine αὐτῶν; quod, si scribimus *dederunt*, omni difficultate, quâ fatigantur interpretes, sublatâ, ad eosdem referimus homines, qui sortes *dedisse* dicuntur. Ita paulo superius auctor vers. 19 scribens τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, ad *incolas* respicit *Hierosolymorum*, eâdem in oratione memoratos. Sed non opus est hunc usum Pronominis αὐτῶν exemplis probare. Cum autem LUCAM dicentem facimus: *Et dederunt sortes suas*; hanc ei tribuimus mentem: *utrumque* JOSEPHUM *et* MATTHIAM *sortem suam* (*) i. e. *tabellam*, *nomine suo insignitam con-*

ci-

(*) Verbum quidem ἔδωκαν ad alios referimus, quam praecedens verbum εἶπον: sed in eo nihil esse, quod loquendi repugnet usui, in Hebraeorum scriptis obvio, omnes norunt periti Sacrarum literarum interpretes. Cf. et *Act. III*: 8. *IV*: 23. *VI*: 6 al.

cilii, in quo aderant, moderatoribus ad sortiendum tradidisse. Et nihil a nobis dici, quod vel ab usitatâ vocis κλῆρος notione, vel ab antiquitatis more abhorreat, notissima docent HOMERI verba, jam a WETSTENIO, alio tamen consilio, ex *Iliad.* VII vers. 175 sqq. excitata:

— — — Οἱ δὲ κλῆρον ἐσημήναντο ἕκαστος·
Ἐν δ᾽ ἔβαλον κυνέῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο.
——— ——— ——— ——— —
— — — πάλλεν δὲ Γερήνιος ἱππότα Νέστωρ.
Ἐκ δ᾽ ἔθορε κλῆρος κυνέης, ὃν ἄρ᾽ ἤθελον αὐτοὶ,
Αἴαντος. ——— ——— — — —

Neque a verisimili mihi alienum videtur, hujusmodi tabellas ab ipso LUCA alibi appellationem κλήρων accepisse, in *Euangel.* nempe Cap. XXIII: 34: ubi illum apposite ad priscam sortiendi rationem scripsisse puto κλήρους; librarios vero, hujus rationis ignaros, cum et in ceterorum Euangelistarum Commentariis, et in oratione vatis antiqui, a JOANNE laudatâ, numerum singularem reperirent, pro eo κλῆρον substituisse. Neutiquam enim verbum ἔβαλον, vocem κλήρους praecedens, notioni repugnare sortium ex vase excussarum, non solum ex HOMERI apparet versibus, modo descriptis, sed etiam ex JOSEPHO, qui sententiae ex Lib. VI. supra excitatae praemittit admonitionem SAMUELIS: κλήρους βάλετε. Utique hanc sortium vel tabellarum traditionem ab Hebraeorum usu haud recessisse, auctor nobis est *Etymol. magn.* p. 519 vo-

cem κλῆρος sic explicans: Σημαίνει ψήφους τίνας (ὅπερ καὶ λαχμὸς λέγεται)· ἐν αἷς ἐσημειοῦντο καὶ ἔγραφον τὰ ὀνόματα αὐτῶν, ὡς τὸ --- Ἔβαλον κλήρους· καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ἰωνᾶν. Quis verba laudari nescit interpretis *Alex. Jon. I: 7*? Neque aliter sibi CYRILLUM *Alex.* sortitionem pontificis de utroque hirco proposuisse, ex iis apparet, quae in *Epist. ad Acacium* περὶ τοῦ ἀποπομπαίου Opp. Tom. V. Part. 2. p. 124 E. AUB. scribebat: Δύο μὲν γὰρ χιμάρους προσκομισθῆναι προσέταξε, καὶ δύο γράφεσθαι κλήρους ἐπ' αὐτοῖς, ὡς τὸν μὲν ἕνα τῶν χιμάρων ὀνομασθῆναι Κύριον, τόν γε μὴν ἕτερον ἀποπομπαῖον. Silentio quoque praeterire nolumus, PHAVORINUM *tabellae traditionem* verbo δίδωμι denotasse, scribentem: Κλήρου σῆμα λέγει Ὅμηρος, ἢ περιφραστικῶς τὸν κλῆρον, ἢ κλῆρον μὲν τὸ σῶμα, τὸ διδόμενον πάλλεσθαι, σῆμα δὲ τὸ ἐν αὐτῷ τυπωθὲν σημεῖον. Sic enim verba ejus distinguenda sunt. Cf. EUSTATH. *ad* HOMER. Tom. II. p. 674. ed. *Rom.*, ubi plane eadem reperiuntur. Haud scio tamen, an utroque in loco pro διδόμενον scribendum sit δεδομένον. Alius generis est διδόναι κλήρους, quod legimus in *Constit. Apostol.* Lib. VIII. cap. 5. Nam loquitur auctor *de clericorum*, qui dicuntur, *ordinibus et locis definiendis* cf. COTEL. ad h. l.

Sed haec fortasse alicui incidit dubitatio, num traditio tabellae ad sortiendum ejus indolis sit, ut in personas quadret JOSEPHI et MATTHIAE. Quam ex ipsius animo tollere, ut disputationis jubet

bet causa, sic haud valde difficile erit. Quamvis enim nos posteri, qui praeclara facinora, ab *Apostolis* JESU patrata, eorumque felicissimos eventus intuemur, munus, quo viri illi functi sunt, pro honorificentissimo et exoptatissimo habemus; aliter sine dubio, cum pro JUDA proditore substituendus erat vicarius, de eo judicatum est. Qui munus istud in se susceperant, hominis, ut ita dicam, in cruce emortui causam apud populares suos et extraneos, tam patricios quam plebejos, defendere, seque quorumvis malorum e propinquo sibi imminentium oneri fortiter subjicere debebant. Profecto! graviore in discrimine se positos videbant, quam belli duces, cum hoste ferocissimo de victoriâ pugnam ineuntes. Quemadmodum hi autem, ab antesignano quodam ad certamen singulare evocati, priusquam sortitio, quis in pulverem descensurus esset, decernere poterat, voluntatem suam certandi patefacere debebant; sic ad electionem *Apostoli* necessarium fuisse censemus, ut JOSEPHUS itidem et MATTHIAS voluntatem suam hujus obeundi muneris antea patefacerent. His igitur in medio collocatis, precibusque ad Deum factis, uterque tabellam, nomine suo insignitam, tradens declarat, se a bello isto pro CHRISTI causâ gerendo, neque adversariorum minis, nec periculorum aerumnarumve metu deterreri. Quâ datâ animi generosi testificatione, tabellae eorum in urnam conjiciuntur, atque, hac concussâ, sors exit MATTHIAE, qui statim

Apostolorum in numerum adscitus vel *annumeratus* est. Sic enim recte post alios VOORSTIUS in *Animadverss. de usu verbor. compos. in N. T. Spec. I.* p. 70 verbum *συγκαταψηφίζεσθαι* vertendo reddidisse videtur.

Act. III : 24.

Καὶ πάντες δὲ οἱ προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς, ὅσοι ἐλάλησαν, καὶ κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας (*).

Magis quidem ambigua Grammatica hujus loci structura est, quam sententia oratoris sacri; neque tamen annotatio mea, uti spero, a judicibus, quibus recta sacrarum literarum interpretatio cordi est, pro supervacaneâ et inutili habebitur. Rectissime, nisi fallor, BEZA hunc versum sic vertendo reddidit: *Sed et omnes Prophetae a Samuele et iis, qui deinceps (sequuti sunt), quotquot loquuti sunt* cet. Similiter, quamvis minus ad literam, CASTALIO: *Itemque tot vates, qui a Samuele et deinceps fuerunt, qui haec tempora praedixerant ac denunciaverant*: LUTHERUS porro, *Belgae* aliique, quos praecesserunt *Vulgatus Lat.*, *Syrus*, *Arabs*, et omnes, quantum novimus, veteres. Recentiori memoriâ eandem viam ingressus est ROSENM., vocabula *τῶν καθεξῆς* explicans *τῶν γεγονότων καθεξῆς*, *qui illum continuâ quâdam serie sunt secuti:* quod placuit etiam SCHOETTGEN. ad L. BOS *Ellips. Gr.* SCHAEF. p. 73 aliisque. CASAU-
BO-

(*) Hoc in versu describendo duces secuti sumus GRIESBACH. aliosque, qui pro verbo *προκατήγγειλαν*, quod in vulgari editione legitur, ad fidem veterum librorum substituunt *κατήγγειλαν*. Sed vulgarem hunc in locum revocavimus distinctionem, cujus rei causas haec annotatio commonstrabit.

BONUS vero ad h. l. vulgarem hujus loci distinctionem et interpretationem deseruit, ita scribens: „ Haec verba variam constructionem admittunt: „ puto autem ita esse construendum, Πάντες οἱ προ„ φῆται ἀπὸ Σαμουὴλ, καὶ ὅσοι τῶν καθεξῆς ἐλάλησαν. „ Alii distinguunt post vocem καθεξῆς, quod mi„ nus rectum videtur." CASAUBONI sententiae calculum suum adjecerunt GROTIUS, VALCKENAERIUS, MORUS, KUINOELIUS. HEINRICHSIUS variam esse posse monet distinctionem: ita ut *comma*, voci καθεξῆς in edit. Vulg. subjectum, vel retineatur, vel tollatur. At vero ab interpretum arbitrio non pendere, utram sequi velint et distinguendi et interpretandi rationem, nunc breviter probare conabimur.

Incipiamus a lustrando orationis argumento. Si dicimus: *Omnes Prophetae* a SAMUELE *et iis, qui deinceps secuti sunt, quotquot loquebantur;* sermone utimur, qui continuatam vatum divinorum seriem verborum abundantiâ tanquam oculis conspiciendam praebet. Hac igitur in abundantiâ offendet nemo intelligens. Sed nonne auribus vehementer officit oratio, ad CASAUBONI mentem constituta? Nonne PETRUS, si, *omnibus Prophetis inde a* SAMUELE commemoratis, ita pergit: *et quotquot ex sequentibus publice loquuti sunt*, quemadmodum VALCKEN. verba Graeca interpretatus est, ταυτολογίᾳ utitur valde ineptâ? Verum et Particula καὶ, quae vocibus τῶν καθεξῆς praefixa est, ne hanc quidem patitur interpre-

pretationem: quippe quae, in locis argumenti historici duas inter sententias posita, alteram ab alterâ sensu differre docet.

Neque profecto! in hujus orationis formâ ullam reperimus causam, cur vulgarem ejus distinctionem deseramus. E contrario, in consilium adhibito loquendi usu, scriptoribus N. T. proprio, insigniter ea commendatur. Nimirum Petrus *ἀπὸ Σαμουὴλ* dicens *καὶ τῶν καθεξῆς*, nonnulla reticuit, quae ita supplentes *ἕως Ἰωάννου*, tantum abest, ut committamus, quod reprehensione dignum sit, ut auctoritatem sequamur JESU *Matth. XI*: 13: *Πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν.* Si quis autem voci *καθεξῆς* cogitando addere mavult *ἕως τοῦ ἐσχάτου αὐτῶν*, vel *πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν*, quod placet OECUMENIO, sive interpreti incerto, nomen ejus ferenti, per nos licet. Ne vero huic loco temere *Ellipsin* affinxisse censeamur, describere lubet, quae in loco simili *Luc. XXIV*: 27 leguntur: *Καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν, διηρμήνευεν αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ αὐτοῦ.* Sic editio habet Vulgaris, cujus fides hîc tam testata est, ut BROESIO (*) suspicanti, LUCAM non *καὶ ἀπὸ πάντων*, sed *ἕως πάντων* scripsisse, nemo facile assensurus sit. Nec sequendus est KUINOEL., ubi hanc auctori mentem tribuit: *Incipiebat loqui de Mosis prophetarumque effatis et oraculis: laudabat primo varia V.T. lo-*

(*) *Aanmerkingen over het Euangelium van Matth.* Spec. II. p. 42.

loca, eaque deinde explicabat. Nam, ne verba ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς huic interpretationi obstare dicam, a verisimili plane abhorret, JESUM vatum Divinorum, vel nomina, vel oracula primum uno eodemque tenore recitasse, tum demum vero sigillatim explicasse. Immo certo mihi persuasum est, Magistrum sapientissimum hac in re ita versatum esse, ut cuivis oraculo, quod recitasset, interpretationem continuo adjungeret. Itaque LUCAM hoc voluisse puto: *Incipiens a Mose et ab omnibus Prophetis, donec ad postremum eorum pervenisset, discipulis suis exposuit, quae in V. T. libris de se scripta erant.* Quod autem sumo, hîc quoque formulam ἕως τοῦ ἐσχάτου αὐτῶν similemve orationi adjiciendam esse, evidenter probatur locis illis, quae verbo ἄρχομαι utrumque terminum, quibus aliquid circumscribitur, subjunctum habent. Vide *Luc. XXIII*: 5. *Joann. VIII*: 9. *Act. I*: 22. Jam vero ex horum verborum comparatione, praeter illud, quod monuimus, haec duo intelliguntur: tum verba ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς pariter inter se connectenda esse, atque illa ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν secum connexa sint; tum Participium quoque ἀρξάμενοι, ut PETRI oratio absolvatur, cogitando addendum esse voci προφῆται. Ejusdem generis breviloquentia fortasse *Act. XVII*: 2 in verbis ἀπὸ τῶν γραφῶν reperitur: ita ut haec scribens auctor in mente habuerit: ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν γραφῶν ἕως τῶν περὶ τοῦ Ἰησοῦ: quod et nuperrime WINERUS (*) variis interpretum sententiis prae-

(*) *Grammatik des Neutestamentlichen Sprachidioms* p. 115.

praetulisse videtur. Et sane huic conjecturae haud parum favet vers. proxime sequens, in quo PAULUM Thessalonicae duo egisse tradit LUCAS: alterum, ut vates ab antiquo *Messiam*, qui mortem passurus exque morte rediturus esset, praenunciasse ostenderet; alterum, ut auditoribus suis, JESUM pro hoc *Messia* habendum esse, persuaderet.

Ceterum, qui verba ὅσοι ἐλάλησαν, καὶ κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας vertendo reddunt: *Quotquot loquebantur, etiam annunciarunt hosce dies*, nihil absurdi tribuunt LUCAE. Valde tamen dubito, an Particula καὶ, praecedentibus jam καὶ et δὲ, exponi possit *etiam*. Quod et noluit VALCKEN., eam ex oratione exire jubens: quocum hactenus consensit KUIN., ut in hujus versus interpretatione rationem ejus non haberet. Sed si *Criticorum* N. T. vera sententia est, scriptionem difficiliorem, ceteris paribus, faciliori praeferendam esse; Particula illa, quae in omnibus libris Graecis alicujus pretii reperitur, sine dubio a LUCA profecta est. Nec habet quoque, quo causam tueatur, qui eam in interpretando plane praetereat. Quae cum ita sint, hîc quoque ab oratore nonnihil omissum esse putamus, quod ex oratione contextâ, et quidem ex vers. 22, eruendum sit. Haec ejus mens fuisse videtur: *Sed et omnes - - - quotquot loquebantur et annunciabant dies hosce*, HUJUSMODI QUID POLLICITI SUNT. Ita jam praeter alios ERASMUS interpretationi suae rectissime haec

adjiciens: „ Nec est simpliciter, *et omnes Pro-* „ *phetae*, sed καὶ πάντες δὲ, *sed et omnes*, ut per- „ tineat ad Moysen, qui praecessit." Quod nemini, qui PLATONIS, XENOPHONTIS et recentiorum etiam scriptorum libros obiter tantum inspexit, exemplis comprobari opus est. Cff. HOOGEV. *Doctr. Partic.* Tom. I. p. 259 et VIGER. p. 544, 545. Hujusmodi autem *Ellipsis* exempla dabit GLASS. l. c. Tom. I. p. 636, 637.

Act. XX : 28.

Προσέχετε ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος.

Plerosque N. T. interpretes, secula XVI et XVII eruditione suâ illustrantes, hanc editionis Vulg. scriptionem pro verâ et genuinâ habuisse, nemini in historiâ doctrinarum aliquantum versato incognitum est. GROTIUS quidem vocem Κυρίου pro Θεοῦ substituendam esse censuit; sed aequalium suorum haud ita multos ad sententiam suam perduxit. Recentiori vero memoriâ, quamquam ERNESTIUS (*) aliique viri egregii Vulg. editionis causam strenue tuebantur; haud pauci tamen fuerunt, qui eam defendi non posse judicarent. Aliis igitur utrique voci τοῦ Θεοῦ interponere placuit Κυρίου καὶ, quod MATTHAEUS in orationem LUCAE recepit. Aliis, vocabulo Θεοῦ ex oratione expulso, pro eo scribere visum est Κυρίου, uti GRIESBACHIO, KUINOELIO, HEINRICHSIO. HARWOODUS (**) locum dedisse videtur scriptioni τὴν ἐκκλησίαν Χριστοῦ. MUNTINGHIUS (†) hunc

(*) *Opusc. Phil. Crit.* p. 335 sqq.. Legatur et eximia HERINGAE disputatio *de usu et abusu critices*, libro inserta, cui titulus *Verhand. van het Gen. tot verded. van den Christ. Godsd. voor het jaar* 1790 pag. 70 sqq.

(**) *A liberal Translation of the N. T.* ad h. l.

(†) *Pars Theol. Christ. Theoretica.* Tom. I. p. 144. ed. 2.

hunc locum incertiorem esse monuit, quam ut eo ad doctrinam de Divinâ CHRISTI naturâ probandam uteremur. Similiter jam antea se ancipites haerere professi erant MICHAËLIS, VAN VLOTEN, MORUS ad h. l. nec non in *Epitome Theol. Christ.* p. 63 ed. 4 et LOTZIUS *Monogramm. Theol. Theoret.* p. 158, 159: quamvis illi magis ad legendum τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Κυρίου propendebant, quam ad Θεοῦ, Κυρίου καὶ Θεοῦ, vel Χριστοῦ. Alio tamen loco MICHAËLIS(*) aliter judicavit, scriptionem Θεοῦ ceteris praeferens: quae et nuperrime PALMIO nostro placuisse videtur. Mihi autem, quae a viris doctis hoc de loco disputata erant, lustranti in mentem incidit conjectura, LUCAM nihil aliud edidisse quam τὴν ἐκκλησίαν: interpretes vero veteres et librarios, quo vel, quod orationi deesset, supplerent, vel ambiguitatem ejus tollerent, singulos, quod sibi placebat, hisce vocibus adjecisse, atque ita factum esse, ut nunc Θεοῦ, nunc Κυρίου, nunc Κυρίου καὶ Θεοῦ, nunc Χριστοῦ scriberetur.

Importunâ hominum sedulitate multa adulterina in veterum scriptorum libros importata esse, jam longo tempore viri docti questi sunt. Praecipue manus se produnt emendatrices, ubi in exemplis librariorum et interpretum continentur, quae ad locum vel ambiguum explicandum faciunt, vel obscurum

(*) *Bijvoegs. en verbet. tot het eerste Deel van de inleiding* cet. pag. 86.

rum illustrandum. Quam late in exemplis N. T. haec *Glossemata* pateant, copiose docuerunt TITTMANN. in *Opusc. Theol.* p. 501 sqq. et WASSENB. in *Dissert. praemiss. Schol.* VALCKEN. Tom. I. Hoc autem loco talia *Glossemata* inveniri, tanto probabilius esse videtur, quanto certius constat, haud raro sibi veterum, ubi nomen *Dei* vel JESU CHRISTI desideraretur, alios aliarum vocum adjectionem permisisse. Vide *Act. V*: 41. *XIV*: 25. *XVIII*: 8. *Rom. I*: 16. *Phil. IV*: 13. Novimus quidem, his in locis exempla nunc pauciora, nunc plura esse, quibus panni isti non annexi sint; in loco vero, in quo versamur, omnes libros alicujus pretii, quos adhuc inspicere licuit, in eo concurrere, ut voci ἐκκλησίαν aliquid adjiciant (*); sed nonne cognita *Criticorum* regula est, talem, qualem hîc cernimus, *varietatem* manus prodere recentiorum hominum, quorum alii sensui laboranti aliter opitulari voluerint, neque igitur istorum, de quibus dissentiant, verborum ullum ad scriptoris sacri orationem admittendum esse? Et quamquam SEMLERUS, ceteroquin vir egregius, aliique hac judicandi regulâ ita saepe abusi sunt, ut ve-

(*) Silentio praeterire nolo, quod notavit TELLERUS *Wörterbuch des N. T.* p. 115. ed. 4. librorum veterum alios habere ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, alios ἐκκλησίαν τοῦ Κυρίου, alios tantum ἐκκλησίαν; hanc autem scriptionem illis ex multorum sententiâ meliorem esse. Hinc igitur mihi apparet, huic interpreti jam incidisse conjecturam, a me propositam: sed et libros bonos et antiquos, ubi tantum reperiatur ἐκκλησίαν, et viros doctos, qui hoc ceteris praeferant, frustra quaesivi.

vera et genuina ex N. T. libris expellerent; attamen prudens ejus usus a nemine intelligente improbabitur (*). Videamus igitur, num causae exstent satis graves, quae hunc ejus usum ad corrigendam LUCAE orationem suadeant.

Fingamus nobis ab auctoris manu *ἐκκλησίαν*, vel *τοῦ Θεοῦ*, vel *τοῦ Κυρίου*, vel *τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ*, vel *Χριστοῦ* profectum esse; quid inde sequitur? summopere, nisi fallimur, mirandam esse exemplorum veterum discrepantiam. Nimirum si LUCAS *ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ* scripsit, non intelligo, cur tanta librorum copia aliud quid contineat: si quidem formula *αἷμα τοῦ Θεοῦ*, quae jam apud TERTULLIANUM et IGNATIUM, seu incertum hominem, nomen ejus ferentem, legitur, nec plerisque temporum illorum, quibus libri adhuc superstites scribebantur, monachis, huic labori vacantibus, offensioni fuit, neque in sententiam omnium priscorum interpretum, quorum exempla ab editione nunc Vulg. discedunt, adeo incurrisse videtur, ut *τοῦ Θεοῦ* cum *τοῦ Κυρίου* vel *Χριστοῦ* commutarent. Si vero LUCAS horum alterutrum edidit; quid, quaeso, homines, ut *τοῦ Κυρίου* vel *Χριστοῦ* sede suâ expellerent, proque iis *τοῦ Θεοῦ* substituerent, impulisse censebitur? Qui verba *τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ* pro veris et genuinis habent, multo minus magnae illius, quae hîc in libris cernitur, diver-

(*) Cf. MICHAËL. *Inleid.* Tom. I. p. 604, 605 et *Bijvoegs.* Tom. I. p. 87, 88.

versitatis causas fingere sibi poterunt. Et cum varietas tam plane singularis oculorum quoque errori tribui nequeat; ratio, ut arbitramur, ita concludenda est, in verbis, quae memoravimus, aegre ac difficulter ullum esse posse, quod LUCAE debeatur (*). Sed ecce! disputatione in alteram partem conversâ, quam probabilia se nobis offerunt argumenta! Vetustissimos hujus libri lectores nihil aliud in exemplo suo reperisse sumimus, quam *ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν*. Jam vero illi, uti verbo *περιεποιήσατο* Nomen deesse vident, sic istud, ne ad *Spiritum Sanctum* referantur aliena, orationi addendum esse opinantur. Alii igitur ingenio suo morem gerentes, *τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ* scribunt, fortasse quod memoriâ repetunt, ita saepe scripsisse PAULUM. Alii propter vocabulum sequens *αἷμα* LUCAM dicentem faciunt *ἐκκλησίαν τοῦ Κυρίου* vel *Χριστοῦ*. Alii denique inspectis exemplis, quibus voces *τοῦ Θεοῦ*, vel *τοῦ Κυρίου* jam importatae erant, utramque scriptionem, ne injuriam accipiat auctor, conjungunt.

Quamvis adhuc disputatis conjectura, LUCAM tantum scripsisse *τὴν ἐκκλησίαν*, commendari videtur; neutiquam tamen eam in medium protulissem, nisi se mihi aliud quoque obtulisset argumentum, quo illa haud parum confirmaretur. Monuit nimirum GRIESB., LUCAM simpliciter *ἐκκλησίαν* absque ullo adjuncto po-

(*) Breviter tantum, quae de variâ hujus loci editione dicenda erant, proposui; ne ad singula probanda MILLII, WETSTENII, GRIESBACHII aliorumque libros describerem.

ponere solere. Quae annotatio ejus ut verissima est, sic omnia, quae libri tam Mss. quam editi hoc loco voci ἐκκλησίαν adjiciunt, in gravem adducit suspicionem. Quid enim minus probabile est, quam scriptorem illum nunc a loquendi usu, quem constanter teneret, discessisse? Forte quis ajat, hîc orationem non legi LUCAE, sed PAULI: hunc vero frequenter dixisse ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. Recte quidem: at LUCAM igitur in describendâ PAULI oratione tam scrupulosum fuisse autumat, ut formulae ubique ab se usurpatae nunc nullam haberet rationem? Utique, quamquam nulla dubitandi causa est, quin, quae ab aliis accepisset, vere et religiose scripto mandaverit, ita ut ea ad verbum saepe traderet; plus semel tamen iis suam dicendi proprietatem et quasi colorem intulisse deprehenditur. Vide *Cap. X*:4, 30, 31. *XVII*:19, 20. *XIX*:37, ubi non tantum *Genium* coelestem, cum CORNELIO loquentem, sed hunc ipsum CORNELIUM aliosque, qui morem Graecorum secuti esse censendi sunt, *Hebraismis* utentes facit. Consentit mecum praeter alios RIEHMIUS in *Dissertat. de fontibus Act. Apost.* p. 109, 194. Quanto autem facilius LUCAE hoc loco fuit suum loquendi usum observare, quoniam ipse PAULUS saepe vocibus τὴν ἐκκλησίαν, quod ei incognitum esse non poterat, nihil adjiciebat! Legantur *Rom. XVI*: 5. 1 *Cor. VI*: 4. *XII*: 28. *XIV*: 19, 28, 35. *Ephes. III*: 10. *V*: 32. *Phil.* 2.

Sed haud sine causâ me nunc rogabit unus et alter,

ter,

ter, si Ecclesiae Ephesinae praesides jussi sint *ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου*, vel ut Vulgaris habet editio, *διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος*, quis igitur hanc Ecclesiam sanguine suo sibi acquisivisse dicatur? Vehementer fallor, aut idem rogare possum viros doctos, qui a LUCA scriptum esse putant *τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ*. Cum enim hunc titulum *τοῦ Θεοῦ ad* CHRISTUM referant, haud meminisse videntur, PAULUM, quanti ceteroquin CHRISTUM habeat, illis in locis, ubi formulâ *ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ* utatur, de uno loqui *Deo Patre*. Vide 1 *Cor. I*: 2 cet. Quod cum probe intelligeret PALMIUS, ad hunc ipsum *Deum Patrem*, et titulum illum *τοῦ Θεοῦ* retulit, et quae porro hoc in versu sequuntur, ita ut haec oratoris mens esset: *Deus sibi Filio et tanquam sanguine suo Ecclesiam acquisivit*. Haec tamen ingeniosa interpretatio vereor ut iis satisfactura sit, qui ad insolentiam talis figurae advertant animum. Et putaverim quoque PAULUM, si hoc vellet, pro more suo aliâ orationis structurâ usurum et dicturum fuisse *τὴν ἐκκλησίαν, ἣν ὁ Θεὸς περιεποιήσατο κ. τ. λ.* Similiter et orationis structura obstare videtur iis, qui *τοῦ Κυρίου*, vel *τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ*, vel *Χριστοῦ* pro *τοῦ Θεοῦ* substituere jubent. Sed his praemissis, nunc age quaestioni institutae respondeamus. Videlicet nihil certius est, quam scriptores sacros, ne nunc de exteris dicam, saepissime, expresso Verbo, Nomen, ad quod Verbum istud spectaret, non expressisse, sed in mente retinuisse. Qualia igitur in loca nos lectores si incidimus;

mus; ex argumento eorum Nomen silentio praetermissum eruere, et orationi cogitando adjungere debemus. Sic et *Ellipsin* nunc *Dei*, nunc CHRISTI nomine supplendam esse videbit, qui evolverit *Job. III*:20. *Jes. XXVI*: 1. *Sirach. XLIX*:8. *Col. I*: 19. *Hebr. IV*:8. 1 *Joann. III*:2. *V*:16(*). Cff. GLASS. l. c. p. 609 sqq. et VOORST. *Annotat. Spec.* I. p. 1. Jam vero pari modo ἣν περιεποιήσατο dictum esse putamus pro ἣν περιεποιήσατο ὁ Κύριος vel Χριστὸς, cujusmodi vocis absentiam ipsius argumenti ratio satis clare commonstrat: si quidem hic unus Ecclesiam sibi sanguine suo acquisivit.

(*) Huc quoque referenda sunt *Act. IX*: 5 et *Gal. I*: 15: si hic ab alienâ manu profectum est ὁ Θεὸς, illic Κύριος. Cff. Cap. XXII: 10. XXVI: 15.

Rom. VI : 17, 18.

Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. Ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ.

Interpretes hujus loci, quamvis de nonnullorum verborum explicatione inter se dissentiunt, hactenus tamen mutuo convenire vidimus, ut PAULUM sententiâ: *ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς*, locutum esse censeant *de religione Christianâ a Romanis animo sincero acceptâ*. Quâ in interpretatione cum adhuc acquieveram, nomen et auctoritatem suspiciens CHRYSOSTOMI, THEODORETI, OECUMENII, THEOPHYLACTI, et doctissimorum virorum, quotquot recentiori memoriâ hoc in loco illustrando diligentiam suam posuissent; haud ita pridem in longe aliam incidi sententiam, quae, si mentem candide explicare licet, satis mihi probabilis esse videbatur, ut in lucem produceretur et ad judices harum rerum gnaros et peritos deferretur.

Primum igitur praecipuumque hoc in loco interpretando errorem natum esse puto ex perversâ ejus distinctione, quae sic mihi corrigenda esse videtur: *Χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, (ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον. διδαχῆς) ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιο-*

καιοσύνη. Duos, ut quisque videt, versus coalescere jubeo in unum, qui totam sententiam absolvat: ita ut *Apodosis* ejus cernatur in verbis ἐλευθερωθέντες —— δικαιοσύνη, *Protasis* autem in praecedentibus χάρις —— δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας; ad hanc vero illustrandam cetera ὑπηκούσατε —— διδαχῆς in *Parenthesi* posita sint. Quae orationis distinctio si bene ordinata est; nemo non intelligit, hunc locum sic vertendo reddendum esse: *Gratia autem Deo, quod servi fuistis vitiositatis, (obedivistis autem ex animo, in quamcunque traditi estis formulam doctrinae); liberati vero a vitiositate, servi facti estis justitiae.* Ad mentem Apostoli plenius explicandam hac utamur circumlocutione: *Gratia Deo de vobis agenda est, qui antea servi vitiositatis fuistis, et ita quidem, ut toto ex animo ei obediretis, quamcunque ut sequeremini doctrinae formulam Deus vobis permisisset; nunc vero, hac vitiositate liberati, recti et honesti omnino studiosi estis.* Revocat igitur PAULUS sectatores CHRISTI Romae versantes in memoriam illius temporis tristissimi, quo alii eorum alia religionis placita profitebantur, sed omnes unâ vitiis ac sceleribus serviebant: illâ autem ex conditione deplorandâ cum nunc doctrinâ CHRISTI liberati sint; hunc favoris Divini usum iis gratulatur, eosque ad vitam probam et honestam exhortatur. Bonam hanc esse sententiam et orationi contextae accommodatam, nemo facile negabit: sed num ea ex PAULI verbis erui queat adeoque debeat, haec quaestio est, a nobis nunc agitanda.

In

In distinctionis mutatione nihil esse, quod quis jure carpere possit, communi consensu nobis largientur omnes, qui in veterum scriptis interpretandis versati sunt. Nec distinctionem quoque N. T. erroribus puram liberamque esse, tum ex eo colligimus, quod illa non ante, quam lux literarum ex vitâ hominum evanescere inceperat, hisce scriptis illata est; tum ex multis apparet locis, virorum doctorum diligentiâ nunc rectius quam olim constitutis. Sed ne quid oneris in alios conjicere fideique supra datae immemores esse videamur, unum alterumque confusionis in libris antiquis adhuc reperiundae exemplum, hac opportunitate utentes, proferamus. In Opp. CHRYSOST. Tom. VI. p. 507 *Eton.* legimus: *Καθάπερ οἱ κήρυκες τοὺς ἀθλητὰς ἀναγορεύοντες ἐν μέσῳ τῷ θεατρῷ, καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν λέγουσιν· ὁ δεῖνα τῆσδε τῆς πολέως.* Eandem distinctionem retinet MONTEF. Tom. II. p. 80 E et 81 A, pro *ἀναγορεύοντες* tamen substituens *ἀναγορεύουσιν*: quod si se recte habet, voci *κήρυκες* quoque subjungi debet Articulus *οἱ*. Scripsit autem interpr. Lat.: *Sicut praecones athletas victores in medio theatro pronunciantes, ipsorum quoque civitatem dicunt, ille de tali civitate.* Minus recte. Vocabula enim *καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν* a verbo *λέγουσιν* sejungenda et cum praecedentibus copulanda sunt, ut hic sensus sit orationis: *Sicut praecones, qui athletas in medio theatro victores promulgant ipsorumque civitatem, dicunt: hic ex illâ civitate.* Multo pejus ulcus est Tom. XII p. 334 B. MONTEF., ubi CHRYSOST. Imperatricem laudat, quae mediâ nocte, absente

Imperatore, in concionem venit; et qualis ea tunc omnium in oculis fuerit, his enarrat verbis: Καὶ διάφορα ἔθνη, καὶ διαφόρους χορούς ἦν ἰδεῖν μίαν κιθάραν ἅπαντας ἔχοντας, τὴν τοῦ Δαυὶδ, καὶ ταῖς εὐχαῖς σε στεφανοῦντας ἐπεζήτει τῆς ἑορτῆς ταύτης ἡ εὐφροσύνη· καὶ τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα τὸν μετὰ σοῦ τὸ ἄροτρον τῆς εὐσεβείας ἕλκοντα. Misere haec sunt depravata. Audiamus interpretem: *Diversasque gentes ac diversos choros videre erat, unam citharam omnes habentes, nempe Davidis, ac festivitatis hujus laetitia eos requirebat, qui te precibus coronarent; nec non religiosissimum Imperatorem, qui pietatis aratrum tecum trahit.* Quae quid significent, haud scio: hoc scio, hanc orationis Graecae, et interpretationem, et distinctionem talem esse, ut auctor sibi ipse contradicat. Quid plura? Participium στεφανοῦντας *Puncto* sejungatur a sequentibus, atque haec, sublatâ distinguendi notâ, quae voci εὐφροσύνη subjecta est, uno tenore legantur usque ad vocem βασιλέα, cui *Comma* postponendum est. Mens enim oratoris haec est: *Diversaeque gentes ac diversi chori videri poterant, unam citharam omnes habentes, nempe* DAVIDIS, *et te precibus suis* (vel *votis*) *coronantes. Desiderabat festi hujus laetitia ipsum etiam religiosissimum Imperatorem, qui tecum aratrum pietatis traheret.* Sed ne longius egrediamur extra fines nobis positos, libros inspiciamus N. T., in quos multa quoque hujusmodi menda irrepserunt. *Luc. II*: 42 in haud paucis editionibus legimus: ἀναβάντων αὐτῶν εἰς Ἱεροσόλυμα, κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς: quare et haec ver-

verba ab interpretibus minus recte exponi solent. Sed cum BEZA, WETSTENIO, GRIESBACHIO tollendum *Comma* est, quo vocabulum Ἱεροσόλυμα a sequenti κατὰ sejungitur. Dicit enim LUCAS: *Iverant eodem modo, quo Judaei Hierosolyma ad sacra facienda proficisci solebant, ingenti nempe popularium catervâ stipati.* Quibus verbis lectores suos quasi praeparat, ne parentes JESU negligentiae accusent, quod, Nazaretham redeuntes, tardius animadverterunt, filium suum non esse secum. Ita non dubito, quin *Rom. XV*: 7 verba εἰς δόξαν Θεοῦ *Commate* a proxime praecedentibus καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς προσελάβετο ἡμᾶς, vel potius ὑμᾶς, separanda, et cum remotioribus Διὸ προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους copulanda sint. Addam exemplis hisce *Eph. II*: 13, ubi oratio PAULI, me judice, hanc postulat distinctionem: Νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ὑμεῖς, οἱ ποτὲ ὄντες μακρὰν, ἐγγὺς ἐγενήθητε, ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ: i. e. *Nunc vero per* CHRISTUM JESUM *vos, qui olim a favore Dei longe remoti fuistis, prope ad eum adducti estis, per* CHRISTI *nempe sanguinem.* Quam orationis constitutionem inprimis suadent praecedentia: Ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, χωρὶς Χριστοῦ ἀπηλλοτριωμένοι cet. Sed longius a proposito meo abduci nolo. Causas igitur deinceps enarrem, cur et loci supra notati distinctio mihi mutanda videatur.

Primum igitur verba ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, et ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, quae nemo negabit ἀντίθετα esse, ita con-

nectimus, ut et rei natura postulat, et loquendi usus in PAULI scriptis reperiundus. Rei enim naturae nihil magis congruit, quam structuram huic loco inferre, quâ verba, ad veterem Romanorum conditionem cum novâ comparandam usurpata, sibi invicem ex adverso opponantur. Loquendi usus qualis in PAULI scriptis sit, ex hoc uno Cap. jam satis apparet. Vide verss. 6, 7, 13, 16, praesertim 20, 22, ubi Apostolus verbis *δοῦλοι ἦτε τῆς ἁμαρτίας* et *ἐλεύθεροι ἦτε τῇ δικαιοσύνῃ* haec opponit *ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας* et *δουλωθέντες τῷ Θεῷ*. Cujusmodi *ἀντίθεσις* et in PHILONIS libro: *liberum esse, quisquis virtuti studeat*, et in aliis veterum scriptis frequens est. Vide STOBAEUM l. c. Tom. II. p. 443 sqq. Vulgaris vero orationis PAULI distinctio nullam usitatae ab eo *ἀντιθέσεως* rationem habet, et comparationem tollit, quam ille pro more suo inter *servos vitiositatis servosque justitiae* i. e. *virtutis cultores* instituit. Tollit insuper haec distinctio, quidquid gravitatis sententiae inest, quam vers. 18 continet. Dictioni enim: *Religioni Christianae ex animo obedivistis* i. e. *vos totos tradidistis*, quo modo exponi solent verba *ὑπηκούσατε ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς*, quam tenue et ineptum est continuo adjicere: *A vitiositatis vinculis liberati, recti et honesti sectatores facti estis!* Novimus quidem, hujus argumenti vim imminui, si recte monuit KOPPIUS in *Comm.* ad h. l., *ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ* a PAULO scriptum esse pro *δοῦλοι εἶναι ὀφείλετε τῆς δικαιοσύνης*; sed in oratione sequenti duo sunt, quae huic interpretationi obstent.

stent. Alterum in eo est, quod Apostolus vers. 19 demum ad officium Romanorum ex supra dictis eliciendum transgreditur: alterum cernitur in formulâ δουλωθέντες τῷ Θεῷ vers. 22, quae cum non explicanda sit *Deum colere debentes*, sed *ad colendum Deum perducti*; formula ejus similis ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ similem explicationem postulat.

Distinctioni a me propositae haud minus favet *Conjunctio* δὲ, Participio ἐλευθερωθέντες subjecta: quae quomodo se hoc loco, salvâ ejus interpretatione vulgari, tueri queat, equidem non intelligo. Nonnulli interpretes eam, in mente PAULI exponendâ, aeque ac si hîc non exstet, silentio praetereunt. Alii, hanc vocem vertendo reddentes *igitur* vel *atque adeo*, temere sumunt, eam pro Particulâ οὖν similive positam esse: quae confusio si cui primâ fronte in scriptis veterum haud raro reperiri videtur, errorem suum, ubi orationis seriem paulo diligentius persecutus erit, sine dubio animadvertet. Qui ei notionem tribuunt Conjunctionis copul. καὶ, lenius quidem reprehendendi, nec tamen sequendi sunt, donec cum interprete *Latino* Vulg. paucisque aliis notio ejus propria et maxime trita retineri scribique potest *autem* vel *vero*. At quis istud *autem* vel *vero* ferat, si PAULUS vers. 18 aliis verbis eadem repetens inducitur, quae versu jam monuit praecedenti? Quam bene vero haec Conjunctio, si nostra probatur sententia, locum suum sustineat, ex interpretatione hujus orationis supra adscriptâ luculenter apparet.

Ad tertium progrediamur argumentum, quo sententiam nostram defendamus. Istud autem petimus ex verbis ὑπηκούσατε ἐκ καρδίας, multo minus vulgari quam nostrae hujus loci interpretationi accommodatis. CHRYSOSTOM. ea sic explicat: οὐδὲ γὰρ ἠναγκάσθητε οὐδὲ ἐβιάσθητε, ἀλλ' ἑκόντες μετὰ προθυμίας ἀπέστητε. GROTIUS PAULUM loqui putat de obedientiâ *non exterius tantum*, *sed intra animi recessus*, *sincerâ fide* a Romanis praestitâ. Alii aliter. At verbum ὑπακούειν, quod sibi sumserunt omnes, *de transitu ad disciplinam* CHRISTI nullo modo accipiendum est. Equidem fateor, hoc verbum in libris N. T. nonnunquam ita usurpari; vicissim autem mihi concedendum est, longe majorem ibi locorum exstare copiam, in quibus illud de *obediendo* vel *parendo* dicatur: sed utra ejus notio hunc quadret in locum, satis perspicue docet oratio praecedens vers. 16, ubi δοῦλοί ἐστε ᾧ ὑπακούετε non denotat *servi ejus estis*, *cujus ad partes transitis*, sed *cui obeditis*. Cf. vers. 12. Jam vero si constat, locutum hic esse PAULUM de *obedientiâ* vere ita dictâ, videamus, quid ex eo sequatur. An forte, laudari ab Apostolo Romanos CHRISTI sectatores propter assiduum et sincerum religionis Christianae praeceptis morigerandi studium? Haec una sane, salvâ vulgari hujus loci interpretatione, mens ejus esse potuit. Sed cur ille, si hoc volebat, *Aoristo* ὑπηκούσατε usus est, non vero, uti vers. 16, *Praesenti* ὑπακούετε, quippe rem tractans nondum praeteritam? E contrario pristinam horum hominum, ut nostra fert opinio, memorans vitam, ap-

po-

posite ad consilium suum in *Aoristo* locutus est. Sic et opportune huic verbo vocabula ἐκ καρδίας adjecit, ut, quod modo dixisset, *Romanos olim vitiositati serviisse*, illustraret, eosdemque huic servituti, quaecunque tandem religionis placita sequerentur, se totos emancipasse asseveraret. Si vero in transitu eorum ad disciplinam CHRISTI laudando versabatur, quid est, quaeso, quod hunc transitum *ex animo* factum esse testatus sit; cum res ipsa loqueretur, plerosque, qui se CHRISTI causâ ludibriis, odiis, et quibusvis malis et aerumnis obnoxios redderent, animi sui voluntatem huc afferre? Quid est, quod istud hac testatus sit in epistolâ; in epistolis vero, quas ad homines scriberet, sibi prae ceteris caros, nullam de eo injecerit mentionem? Quod denique hoc Romanis dixerit, quos coram intueri ipsi nondum contigisset? Aut si PAULUM sinceram eorum pietatem ac virtutem praedicâsse censes; quid hâc, rogaverim, praedicatione egit? Ut lectoribus hisce suis, reclamante multorum vitâ, persuadens, eos se totos ad religionis Christianae normam et regulam composuisse, benevolentiam eorum captaret? Nihil aliud superest, quod respondeatur; nisi forte Apostolum verba ἐκ καρδίας orationi suae ita adspersisse velis, ut plane redundarent.

Quarto verbis ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ multi se interpretes impeditos sentiunt. MICHAËLIS aliique in verbo ἦτε *Emphasin* quaerunt, ac si explicandum sit *non amplius estis:* sed quos re-

refellendi copiam nobis praebet vers. 20, ubi verbum istud vim *Imperfecti* sibi bis habet propriam. KOPPIUS negligentiorem esse monet structuram, qualis ea in quolibet familiari sermone esse soleat; cum sic scribere debuisset PAULUS: *ὅτι, πρὶν μὲν ὄντες δοῦλοι, νῦν ὑπηκούσατε*: cui assentitur praeter alios P. H. HUGENHOLTZ *in Disput. de Cap. VI Epist.* PAUL. *ad Rom.* p. 65. Similiter jam GROT., cujus haec sunt verba: „ Est hîc Hebraismus praeteriti cum copulativa conjunctione, vice participii. Non enim Deo gratias agit „ *quod servierint peccato*, sed *quod qui servierunt* „ *peccato*, *postea obedierunt Euangelio.*" At si Particulam *ὅτι* ad verbum quoque remotius *ἐδουλώθητε*, quod praecedentibus *ἦτε δοῦλοι* respondet, referimus, tollitur quidquid hac in dicendi negligentiâ difficultatis est. Hoc unum viris doctis concedere debemus, Particulam *μὲν* hac in oratione omitti. Sed cur istud concedere gravabimur? Frequentissimam enim hanc *Ellipsin*, et in libris bene Graecis, et in N. T. scriptis esse, haud ignorant tirones (*). Praeterea vulgaris quoque interpretationis ratio postulat, ut vox illa verbis *ἦτε δοῦλοι* cogitando praeponatur.

Quinto denique pervenimus ad argumentum, superiore multo gravius, quod nobis praebet formula

(*) Exemplorum copiam dabunt STEPH. *Thes.* Tom. I. p. 913 et Tom. II. p. 1615. HOOGEV. *Doctr. Part.* Tom. I. p. 243 et 660 sqq. ZEUN. et HERM. ad VIGER. p. 536, 537.

la εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, de quâ viri docti vario modo disputarunt. CAMERARIUS eam sic resolvere jubet: κατὰ τὸν ὑμῖν παραδεδομένον τύπον i. e. *quemadmodum* (doctrina) *illa vobis tradita est*. Similiter praeter alios GROT. et HAMELSV. Plerique vocabula τύπον διδαχῆς, praefixâ iis Praepositione εἰς, cum verbo ὑπηκούσατε connectunt: ceterum vero vehementer inter se discrepantes. Alii nimirum cum CALVINO et BEZA hanc PAULO mentem tribuunt, *Romanos tanquam doctrinae Christianae typo immissos esse, ut ejus figurae conformarentur*. Alii, uti LUTHER, KYPKE, VAN VLOTEN, vocem quidem τύπον non negligendam, sed de *formâ* vel *exemplari* accipiendam esse putant, nec tamen sequentia εἰς ὃν παρεδόθητε adeo urgere volunt. Haud pauci totam hanc formulam ita interpretantur, ut, vocabula τύπον διδαχῆς de *doctrinae normâ regulâque* sumentes, ipsum τύπον fere redundare dicant; verba autem εἰς ὃν παρεδόθητε scripta esse contendant pro ὃς παρεδοθῆ ὑμῖν: quod placet CASTALIONI, LAUNAEO (*), HOMBERGKIO, KOPPIO, KLINKENBERGIO, GREVIO (**), BOSVELDIO (†), HUGENHOLTZIO aliisque, qui tamen ne sic quidem omnino inter se consentiunt. Hanc autem opinionum diversitatem hoc notavimus consilio, ut nostrae senten-

(*) *Paraphrase et Exposition sur les Epistres de St.* PAUL. ad h. l.

(**) *De Brieven van den Apost.* PAUL. *uit het Grieksch vert. met aanm.* Tom. I. ad h. l.

(†) *Verklaring van* PAULUS *Brief aan de Romeinen* ad h. l.

tentiae commendandae planiorem nobis faceremus viam. Nec tantum omnem disputandi causam, sed *Hypallagen* etiam, quam huic orationi communi consensu adscribunt (*), nobis tollere videmur eâ sic explicandâ: *in quamcunque traditi estis formulam doctrinae* i. e. *quaecunque ut sequeremini religionis placita Deus vobis permisit.* Verbum παραδίδωμι in scriptis Hebraeorum haud raro notionem habere *permittendi* vel *relinquendi*, veteres jam monuerunt interpretes apud SUICERUM Tom. II. p. 574 sqq. Neutiquam autem a loquendi usu discedere, qui verbo illi, ubi haec ei notio tribuitur, Praepositionem εἰς cum Accusativo subjungat, jam apparet ex *Sirach. IV*: 19, ubi legimus de Sapientiae cultore: Ἐὰν ἀποπλανηθῇ, ἐγκαταλείψει (sc. Sapientia) αὐτὸν, καὶ παραδώσει αὐτὸν εἰς χεῖρας πτώσεως αὐτοῦ. i. e. *Si in errorem se conjecerit, illum sibi relinquet permittetque ut cadat.* Similiter Passivum usurpatur ab interpr. *Jes. LIII*: 12, qui de sanctissimo Dei ministro ibi laudato dicit: παρεδόθη εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Plura loca dabunt BIEL et SCHLEUSN. in *Thess.* h. v. Neque hunc usum verbi παραδίδωμι PAULO incognitum fuisse declarant, quae hac in epistolâ Cap. I: 24, 26, 28 leguntur. Cum enim scribebat de Deo: Παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν, et παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς πάθη ἀτιμίας, et denique παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς ἀδόκιμον νοῦν; ni-

(*) Cff. C. VORSTIUS *Comm.* ad h. l. et GATAKERUS in *Opp. Critic.* p. 259.

nihil aliud voluit, quam *permisisse Deum*, *ut et Romani et ceterae gentes in superstitionem atque impietatem ruerent.* Quid? quod alibi ipse Passivâ hujus verbi formâ eodem modo utitur, nempe 2 *Cor. IV*: 11: ubi hanc emittit querimoniam: Ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν i. e. *Quamdiu hac in vitâ versamur*, *permittit Deus*, *ut* JESU *causâ mortis periculum subeamus.* Jam vero, uti haec loca interpretationi nostrae fidem faciunt, sic e contrario interpretationum, quas memoravimus, nulla habet, quo probari possit. Desiderantur, quantum equidem scio, exempla, unde appareat, pro κατὰ τύπον scribi potuisse εἰς τύπον. Verbum ὑπακούειν nusquam Praepositionem εἰς cum Accusativo post se trahere reperimus. Et quamvis nonnulla verba Passiva *Trajectionem* patiuntur; loca tamen nobis non succurrunt, ubi verbum παραδίδωμι ita trajiciendum sit, ut hîc formulam ὃς παρεδόθη ὑμῖν pro εἰς ὃν παρεδόθητε substituere liceat. Longius vero quaesitum reor, quod nonnemo suspicatus est, verbum hoc in iis, quae notionem habeant reciprocam, numerandum, dictumque εἰς ὃν παρεδόθητε explicandum esse: *cui vosmet tradidistis.* Ceterum non negamus, vocabula τύπος διδαχῆς ejus indolis esse, ut *religionis Christianae doctrinam* denotare possint; sed suâ vice interpretes nobis volumus concedant, nihil obstare, quominus et iis *religionum exterarum et falsarum* denotentur *placita.* Voce enim διδαχὴ haud raro in N. T. libris *doctrina* dicitur, quae vel *falsa* est, vel pro *falsâ* habetur. Vide *Matth. XVI*: 12. *Joann.*

ann. XVIII: 19. *Act. V*: 28. *XVII*: 19 et alia loca, a Lexicographis notata. Alterâ autem in voce τύπος explicandâ plerosque sequimur interpretes, *normam formulamve* eâ significari monentes: ita tamen, ut eam fere redundantem dicere non cogamur. Et integra dictio εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, ut nostra fert sententia, non minus commode *de iis, qui variarum religionum* vel *superstitionum formulis relicti sunt*, quam *de hominibus ad* CHRISTI *doctrinam perductis* accipitur. Nonnulli, quo vulgarem interpretationem auctoritate fulciant, ad 1 *Tim. VI*: 3. 2 *Tim. I*: 13. 2 *Pet. II*: 21 et alia nonnulla provocant N. T. loca; sed quantum ab hoc loco differant, quaecunque ab iis excitantur, brevis utrorumque satis docebit comparatio. Ab alterâ parte cum sciant omnes, tam peregrina quam domestica sacra, etiam PAULI tempore, Romae ab hominibus varii generis et conditionis celebrata esse, manifestum est, Apostolum nihil temere lectoribus suis affinxisse, cum eos antea variis religionum formulis adstrictos fuisse sumeret. Cff. quae ipse de exterarum gentium superstitionibus scripsit Cap. I: 21 — 25. Sed inprimis comparari merentur duo loci, quorum alter in oratione reperitur pro Lystrensibus habitâ *Act. XIV*: 16, et haec de Deo continet: Ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν; alter 1 *Cor. XII*: 2 legitur, et sic constituendus esse videtur: Οἴδατε, ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθε

(*) Cff. LUTHERUS, LAUNAEUS, DODDRIDGIUS ad h. l.

ἤγεσθε ἀπαγόμενοι; Quae verba sic interpretamur: *Nostis, quomodo, cum gentes eratis, huc et illuc ad simulacra muta colenda abducti sitis.*

Sufficere haec mihi videntur ad rem inchoatam probabiliter absolvendam: sed, priusquam ad alium locum progredior, tria, quae praevideo fore, ut mihi objiciantur, occupanda sunt.

Primum fortasse quis putet, Particulam δὲ, quae posteriori versus 17 membro inserta est, nobis obstare, quominus membrum illud integrum in *Parenthesi* ponere possimus. Cui vereor, ut satisfactura sit admonitio WINERI l. c. p. 137, hanc Particulam inter Parentheseos notas numerandam esse. Quid vero, si se nobis offerunt loca, quibus causam tueamur, hujus loci similia? Talia nimirum reperimus in ipsius PAULI scriptis, uti 1 *Cor. VII*: 10 et 1 *Tim. III*: 5: quemadmodum et apud CALLIMACH. *Hymn. in Cerer.* v. 57 aliosque scriptores exteros haud frustra quaerentur. Sed nullum nobis evidentius succurrit exemplum, quam quod hac eâdem exstat in Epistolâ, Cap. IX: 30, 31, ubi legimus: Τί οὖν ἐροῦμεν; ὅτι ἔθνη, τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην, δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως· Ἰσραὴλ δὲ, διώκων νόμον δικαιοσύνης, εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε. In formulâ δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως sine dubio reticetur verbum λέγω, quo Ellipsis sic supplenda est: δικαιοσύνην δὲ λέγω τὴν ἐκ πίστεως. Unde sequitur, hanc mediam esse sententiam, quae orationis abrumpat seriem, inque Parenthe-

renthesi ponenda sit. Cum autem, quae hac in Parenthesi dicuntur, ad praecedentia illustranda inserviant, vide, quantum ea conferant ad probanda, quae de verbis *ὑπηκούσατε δὲ κ. τ. λ.* diximus! Sed insunt huic loco, unde ceteram quoque PAULI orationem bene a nobis expositam esse, colligimus: mediam puta sententiam modo memoratam et hîc inter *Protasin* et *Apodosin* intercedere: in illâ autem reticeri vocabulum *μὲν*; in hac vero Particulam *δὲ* repeti: utramque denique pendere a Conjunctione *ὅτι*, quae interrogationi *τί οὖν ἐροῦμεν*; subjecta est. Ceterum *Parentheses* et in libris N. T., et praecipue in scriptis PAULI frequentes esse docuerunt KEIL l. c. p. 84, 85. HAAB l. c. p. 261 sqq. WINER l. c. p. 136 sqq. et scriptores ab iis laudati.

Altero lectorem liberare conemur scrupulo. Nimirum verba PAULI: *εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς* explicuimus: *Quaecunque ut sequeremini doctrinae placita Deus vobis permisit;* sed haud mirabimur, si nonnulli Apostolum, ut hanc mentem expromeret, scripturum fuisse dicant: *εἰς ὅντινα ἂν παραδοθῆτε τύπον διδαχῆς.* Quam quidem contradictionem haud infitior primâ fronte satis speciosam esse: neque hanc tamen vim habere videtur, ut nostram sententiam infringat. Notissimum enim est, scriptores Graecos pro *Optativo* vel *Subjunctivo* modo cum Particulâ *ἂν*, haud raro, hac Particulâ omissâ, *Indicativo* uti (*). Cff. BUDAEUS in *Commen-*

(*) Nec rara quoque exempla locorum esse, ubi Particulam

mentariis ling. Graec. p. 949, 950. HOOGEV. *Doctr. Part.* Tom. I. p. 91. VIGER. l. c. p. 195 sqq. ubi et loca reperiuntur, in quibus haec modorum permutatio facta est praecedente Articulo ὃς. Praeterea simplex illud ὃς et compositum ὅστις, ut itidem notum est, saepe promiscue usurpantur: quod illustri exemplo docent versus PHILEMONIS apud STOB. Serm. IX. Tom. I. p. 235:

'Ανήρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ 'δικῶν,
'Αλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος, μὴ βούλεται.
Οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέσχετο,
'Αλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
"Εχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
Οὐδ' ὅς γε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
'Αλλ' ὅστις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν,
Εἶναι δίκαιος, κοὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.

Scriptores autem N. T. multo crebrius quam alii, ubi plerumque ὅστις ἂν cum Optativo vel Subjunctivo scribitur, Indicativum uni voci ὃς subjiciunt, vel alio modo a vulgari Graecorum usu discedunt. Vide *Matth. X*: 32 coll. *Luc. XII*: 8. *Matth. XII*: 50 coll. *Marc. III*: 35. item *Rom. VIII* : 29, 30. *IX* : 18 coll. 15. 1 *Cor. III* : 14. *VII* : 24, 39, et cff. HAAB. l. c. p. 203 sqq. et WINER l. c. p. 89. Quid? quod hoc eodem in Cap. vers. 16 ᾧ παριστάνετε scriptum videtur pro ᾧτινι ἂν παριστᾶτε. Neque igitur in eo, quod hic tantum legimus εἰς ὃν πα-

lam ἂν Indicativus sequatur, inter viros doctos constat. Cf. POPPO in *Miscellaneis maximam partem criticis*, quas edid. FRIEDEMANN et SEEBODE Vol. I Part. 2. p. 31 sqq. Sed hoc nunc obiter.

παρεδόθητε, causa esse potest, cur interpretatio, a nobis proposita, rejiciatur. Et fortasse de industria Apostolus ita scripsit, quippe pro certo et explorato habens, sectatores CHRISTI Romanos varias olim disciplinas secutos esse.

Denique nobis removenda superest difficultas, in eo posita, quod post verbum ὑπηκούσατε Pronomen αὐτῇ desideratur: sed haud magno negotio haec removeri poterit. Scribendi enim festinationem fecisse, ut plus quam sexcenties veteres Pronomen istud verbo adjicere negligerent, nemo est, qui ignoret. Verum ut parcam tempori, praetermissis aliis locis, excitare tantum lubet vers. 12, ubi librarii genuinae scriptioni PAULI εἰς τὸ ὑπακούειν, ut, quae ei deesse videbantur, supplerent, addiderunt verba αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ.

Rom. X: 18 — 21.

Ἀλλὰ λέγω· μὴ οὐκ ἤκουσαν; Μενοῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. Ἀλλὰ λέγω· μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; Πρῶτος Μωϋσῆς λέγει (*)· *Ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' οὐκ ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς. Ἠσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει· Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι. Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει· Ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα.*

Ab initio hujus Capitis ostendit PAULUS, JESAJAE verba: *Πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται*, ad finem Capitis superioris jam excitata, hominibus sine ullo discrimine omnibus, quotquot CHRISTUM pro salutis suae auctore accipiant, salutis istius spem facere. A versu autem inde 14, hac utens opportunitate, gentium exterarum invitationem ad partes CHRISTI, quae Judaeorum subierat offensionem, defendere conatur. Hunc igitur elegantem inducit *Soriten: Quî fieri potest, ut* CHRISTUM *Gentes et Judaei pariter pro salutis suae auctore habeant, nisi fidem suam antea in eo collocaverint? Quî vero fidei suae in eo collocandae copia illis ac facultas dabitur, nisi auri-*

(*) Morem gessimus GRIESBACHIO aliisque, pro Vulgari scriptione *οὐκ ἔγνω Ἰσραὴλ* et *Μωσῆς* substituere jubentibus, quae supra exhibita sunt.

ribus accipiant ejus doctrinam? Quî porro doctrinam Christi auribus accipient, nisi in medium prodeant doctores, a quibus ea tradatur? Quî tandem doctores tales prodibunt, nisi mandato Divino emissi sint? Quam argumentationem ut adstringat auctor; sic orationem persequitur: *Ita demum eventu comprobatur, quod cecinit vates modo laudatus: Quam grati et accepti sunt, qui laetum afferunt salutis nuncium!* At his tamen verbis, ne quis plus, quam par est, ex iis eliciat, admonitionem de multorum subjungit contumaciâ, quam sic explicandam esse censeo: *Cave tamen hinc colligas, omnes, quorum ad notitiam doctrina* CHRISTI *perveniret, favore et plausu eam accepisse: multi enim doctrinae Divinae auscultare noluerunt, quippe homines, a quibus, ut jam questus* JESAJAS *est, meliora sperari non possent.* Si quis autem et haec, et superiora verba, inde a *καθὼς γέγραπται*, in Parenthesi ponere vult; per nos licet. PAULUS enim ita scribens tanquam in diverticulo versatur: unde eum in viam redire ad legitimam consequentiam ex praemissis antea positis deducendam, apparet ex usu vocabuli *ἄρα*, quod recte AMMONIUS *de affinium vocabul. differentia* p. 23 ed. VALCK. *συλλογιστικὸν* dicit. Cf. HOOGEV. *Doctr. Part.* Tom. I. p. 107 sqq. Longe igitur a vero aberrat GROTIUS monens, hoc versu PAULUM, ad alteram responsionis partem venientem, concedere, quod sumtum erat, *fidem non esse nisi ex auditu*, nec non Particulam *ἄρα* hîc exponendam esse *sane.* Neque hunc versum intellexisse videntur interpretes, qui,

prae-

praeeunte BEZA, verba διὰ ῥήματος Θεοῦ explicant *ex Dei mandato*. Nihil enim probabilius est, quam auctorem ita scribentem respexisse ad vers. 8, ubi vocabulum ῥῆμα de *religionis doctrina* dixerat (*). Mens ejus, nisi fallimur, haec est: *Itaque vox Dei, ut fidem apud homines inveniat, ad eorum notitiam pervenire debet: ut vero ad eorum notitiam perveniat, divinitus annuncianda est.* Sic autem rationem concludens, in mente tenet sententiam, cujus causâ totam hanc aggressus est disputationem, nimirum hanc: *unde sequitur, culpandum non esse Deum, qui religionis doctrinam tam ad Gentes perferre jusserit quam ad Judaeos.* Haec vero conclusio Apostolum in aliam disputationem injicit, de cujus sensu multum inter viros doctos esse vidimus discrepantiae, parum aut nihil reperimus, quod nobis omnino placeret. Quare haud supervacaneum nobis videtur hunc locum denuo lustrare.

PAU-

(*) Haud ignoro quidem, PAULUM alibi *Divinam religionis doctrinam* dicere τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ; sed hic accidit Apostolo, quod haud raro ei accidisse constat, ut nempe excitata quaedam V. T. verba eum a consueto loquendi usu deflecterent. Excitatis igitur, quae scripserat MOSES *Deut. XXX*: 14: Ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν κ. τ. λ., continuo, ut haec ad causam suam transferret, *doctrinam* CHRISTI τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως appellavit, similemque appellationem versu 17 usurpavit. Ceterum interpretationem hujus versus, in libro, cui titulus: *Nieuw Christelijk Magazijn - - bijeen verzameld door* J. H. KROM Tom. I. p. 493 sqq., a viro satis ingenioso propositam, aliasque plures, quas non patiuntur leges Grammatices, silentio praeterivimus.

PAULUS sibi vers. 18, ex nostrâ sententiâ, adversarium fingit, ex ABRAHAMI sobole prognatum, qui invitationem gentium exterarum ad CHRISTI doctrinam aegre ferens, et notionem per se satis amplam formulae διὰ ῥήματος Θεοῦ ad consilium suum arripiens, hac occurrat interrogatione: *Nonne Gentes pariter ac Judaei vocem Dei audiverunt?* Quod ille cum ore profert, haec habet in mente: *Nonne injuste agit Deus, qui Judaeis, quoniam voci ipsius auscultare noluerunt, a se rejectis, nunc suo se favore ad exteras convertit Gentes, quae eâdem plane culpâ tenentur; cum aeque atque illi vocem ejus audiverunt?* Hac autem *voce Dei* homo iste, vel potius PAULUS, qui eum loquentem inducit, praedicationem illam significat virtutum Divinarum, quam veteres Hebraeorum Poëtae huic toti rerum tribuunt universitati, stellis praesertim in aethere lucentibus. Cff. VITRINGAE *Observationes Sacr.* Tom. I. pag. 841 sqq. Nimirum, haec dum rogat, animo ejus jam obversantur verba DAVIDIS *Psalm. XIX*: 5, quae statim ipse reprehensori suggerit. *Profecto!* inquit, *huc spectat, quod cecinisse novimus* DAVIDEM, *per omnes terras vocem eorum et concentum penetrasse.* Quae breviter dicta hanc, si rem bene intelligimus, complectuntur sententiam: *Profecto! non tantum fateor, gentes illas, quibus annunciata nunc doctrina* CHRISTI *est, vocem Dei jam antea audivisse, sed ipse ego contendo, nullam prorsus gentem hac caruisse institutione, quâ ad Deum colendum evocaretur.* Atque ita PAULUS plus con-

concedit, quam petiit adversarius. Verum hac liberalitate suâ illum nihil lucrari, deinceps commonstrat. *At vicissim*, ait, *te ipse rogo: Nonne Israëlitae vocem Dei cognitam habuerunt?* Videlicet iterum ad formulam satis amplae notionis διὰ ῥήματος Θεοῦ respiciens, eamque nunc sumens *de voce illâ Dei Israëlitis olim per* MOSEN *et Prophetas traditâ*, hoc velle videtur: *Nonne multo magis Israëlitae, quibus patefactio rerum Divinarum contigit plane singularis, vocem Dei audiverunt adeoque cognitam habuerunt; ita ut hac spernendâ se prae ceteris gentibus dignos facerent, quos nunc doctrina* CHRISTI *praeteriret?* Huic autem interrogationi, quo ulteriori contradictioni locum praecludat, non suis verbis, sed vatum Divinorum oraculis excitandis, vim et pondus adjicit. Provocat igitur tum ad *Deut. XXXII*: 21, tum ad *Jes. LXV*: 1, 2, et, si mentem ejus assecutus sum, oratione utitur sic exponendâ: *Jam ab antiquo Deus, Israëlitas vocem suam modo plane singulari audivisse, at eosdem tamen, qui hoc favore destituantur, dignos esse arguit, ubi iis* MOSE *comminatur interprete: Gentem nullius numeri tanto, vobis neglectis, amore complectar, ut ad invidiam et iram excitemini; tum quoque, ubi ab intrepido illo vate* JESAJA *inducitur de gentibus quidem exteris dicens: Iis, qui me non anquirunt, praesentem me praestabo, sed Israëlitas sic alloquens: Omnem meam benignitatem frustra in contumacem effudi et rebellem populum.* Jam demonstratâ sententiâ, haud injuste egisse Deum, qui se nunc

 prae-

praetermissis Judaeis ad gentes converteret, opportune sequitur Cap. XI haec nova interrogatio: *Num Deus igitur populum sibi ab antiquo dilectum prorsus a se rejecit?*

Satis enucleate, ut puto, exposui, quae mihi hoc in loco PAULUS docuisse videtur. Nec vereor magnopere, ne affinxerim ei orationem, aut doctrinae ejus aliunde cognitae repugnantem, aut sibi minus cohaerentem. At haec quaestio est, num interpretatio mea ad leges *Hermeneutices* diligenter exacta et omnino vera sit: vel, si nos impedit auctoris breviloquentia, quominus hoc efficiatur; num ea aliquam certe probabilitatis commendationem habeat? Quam quaestionem nunc ita tractare lubet, ut nonnullis hujus orationis verbis et formulis sigillatim explicandis causas proferam, cur hanc in sententiam perductus sim. Et si alia quaedam, in quibus cardo quaestionis minus vertitur, hac datâ occasione illustravero, in neminis, quod spero, reprehensionem incurram.

Incipiamus a verbo *λέγω* vers. 18 et 19, quod quamvis *interrogandi* notionem per se non habet, de *interrogatione* tamen dicitur, ut ex Cap. XI: 1 et 11 apparet. Recte jam THEODORET. ad verba *ἀλλὰ λέγω vers.* 18 scripsit: *Καὶ τοῦτο πάλιν κατ' ἐρώτησιν ἀναγνωστέον, εἶτα κατὰ ἀπόκρισιν· μενοῦνγε κ. τ. λ.* Majoris ponderis erit explorare, num verba: *'Αλλὰ λέγω· μὴ οὐκ ἤκουσαν;* hominis alicujus vel Judaei sint, vel Judaeorum partes tenentis, quem Apo-

Apostolus loquentem inducit. Sed hoc satis elucere putamus ex repetitione formulae *ἀλλὰ λέγω* vers. 19. Haec enim valde inepta est, nisi cum GROTIO aliisque magnis interpretibus existimamus, Apostolum cavillatori, quem praesentem fingebat, contradictionem suam regessisse. Qui loca sibi monstrari cupit, ubi mutuam disceptationem homines a Particulâ *ἀλλὰ* incipiant; adeat WYTTENB. *in* PLAT. *Phaed.* p. 142. HOOGEV. l. c. p. 7, 8. VIGER. l. c. p. 470, qui tamen minus bene tradunt, hanc Conjunctionem interrogationi et responsioni inservire; cum tantum pro notâ *responsionis* habenda et exponenda sit voce Latinâ *at* similive. Cf. HERMANN. ad h. VIGERI l. Verba igitur *ἀλλὰ λέγω* sine dubio significant, scriptorem a reprehensore quodam interpellari. Sed hinc non sequitur, audiendos esse SCHLEUSNERUM aliosque, qui praecedente CAMERARIO, *primam* personam pro *tertia* positam esse moneant. Immo vero orationi cogitando adjicienda sunt verba *τὶς εἶπε* vel similia, quae et in omni hominum disputatione fervor animorum supprimere solet, et ipsius saepe PAULI suppressit festinatio. Vide Cap. III : 1. IV : 10. VI : 15. VII: 7. IX: 14, 30, 32. Cff. quae diximus supra p. 9. Quare et verba Apostoli vertendo reddere malo: *At, quis ait, dico;* quam interpretibus assentiri, qui scripserunt: *sed mihi ipse objicio* vel similiter, uti JASPIS in *Versione Latina Epistolarum N. T.* et SCHOTT. ad h. l.

Se-

Sequuntur verba μὴ οὐκ ἤκουσαν; quae CHRYSOST. sic interpretatur: Τί γὰρ, εἰ ἀπεστάλησαν οἱ κηρύσσοντες, καὶ ἐκήρυξαν ἅπερ ἐκελεύσθησαν, οὗτοι δὲ οὐκ ἤκουσαν; Similiter formulam: μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; quae vers. 19 legitur, explicans dicit: Τί γὰρ, εἰ ἤκουσαν μὲν, οὐκ ἐνόησαν δὲ τὰ εἰρημένα, οὐδὲ συνῆκαν, ὅτι ἐκεῖνοι οὗτοι ἦσαν οἱ ἀποσταλέντες· οὐκ ἄξιοι συγγνώμης τῆς ἀγνοίας ταύτης ἕνεκεν; Haud multo aliter THEOPHYL. et interpretes plurimi tam recentiores quam veteres, quibuscum consentiens KOPPIUS sententiam: Μὴ οὐκ ἤκουσαν; exposuit: *Forte opportunitas audiendi de eâ iis defuit.* Sed sine dubio PAULUM disputantem faciunt contrarium ejus, quod vocabula μὴ οὐκ intelligi jubent. Raro quidem veteres haec vocabula sententiae interroganti praeposuerunt: unde factum est, ut Grammatici etiam insignis notae (*) ita loquerentur, ac si iis negans tantum inesset notio: nec tamen caremus exemplis locorum, ubi interrogationi inserviant. His vero in locis vim habent vocis Latinae *nonne:* ita ut non *negantis* vel *dubitantis*, sed *ajentis* sit oratio, quam illa post se trahant. Vide interp. *Alex. Judic.* VI: 13. AQUIL. et

SYMM.

(*) Vide SUIDAM ad Μὴ οὐχί. BUDAEUM l. c. p. 936, 937. MATTHIAE l. c. p. 729, 887. HERMANN. l. c. p. 796 sqq. BUTTMANN *Griechische Grammatik* p. 515, 564 ed. 8. BAST et SCHAEFER *ad* GREGOR. *Corinth.* p. 577. — Loca, in quibus HOOGEV. *Doctr. Partic.* l. c. p. 744 sqq. vocibus μὴ οὐ notionem interrogantem tribuendam esse putat, praeter *Rom. X*: 18, et 1 *Cor. IX*: 4, hinc aliena sunt, quoniam ibi μὴ a verbo aliquo pendet praecedente.

SYMM. *Amos. IX*:7. 1 *Cor. IX*:4, 5. Cum autem refutato nitantur errore, quae satis ingeniose KOPPIUS quaeque alii nonnulli, singuli suo modo, de hoc loco commentati sunt; sequitur, stare non posse interpretationem ab iis propositam.

Ipsum porro verbum ἤκουσαν plerique interpretes ad *Judaeos* referunt; alii ad *Judaeos et Gentes exteras;* VATABLUS denique cum paucis, qui eum sequuntur, *ad solas illas Gentes.* In me si quis veri sensus est; hoc illis praeferri debet: et duplici quidem de causâ. Altera in eo posita est, quod PAULI argumentatio verss. 14 et 15: Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται — ἀποσταλῶσι, cujus conclusionem nonnullis interjectis vers. 17 reperiri vidimus, ad Gentes spectat a Judaeis diversas, de quibus igitur adversarius ejus hoc quoque versu loqui censendus est. Alteram nobis suppeditat vox Ἰσραὴλ vers. 19, haud obscure significans, praecedentia ad homines ab Israëlitis distinguendos respicere. Si enim utroque in loco ABRAHAMI soboles denotatur; equidem non intelligo, cur auctor posteriori demum Israëlitarum nomen adscripserit.

Diutius nos occupabit quaestio, quid sit illud, quod gentes exterae audiverint? Dubitari nequit, quin rectissime interpretes tantum non omnes, et hic, et ad verba μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω, ex posteriori membro versus 17 repetant ῥῆμα Θεοῦ: quod significarunt *Belgae* scribentes: *Hebben zij* HET *niet gehoord?* Sic alibi quoque ad Verbum ἀκούω. Nomen

men vel Pronomen ex proximè praecedentibus repetendum est. Vide *Luc. VII* : 29. *Hist. Bel. et Drac.* v. 28. 1 *Macc. X*: 2. Sed non ita facile cuivis persuadebimus, cogitandum hîc esse *de totius naturae, praesertim coelorum, voce, virtutes Dei eloquente.* Nimirum interpretes et veteres et recentiores de eo propemodum inter se consentiunt, tanquam de re certâ et exploratâ, PAULUM de *auditâ Christi doctrinâ* locutum esse. Quod jam placuisse videtur JUSTINO *Mart. Dial. cum* TRYPH. *Jud.* Opp. p. 138: ubi primum de Apostolis JESU dicit: *Δι' ὧν τῆς φωνῆς ἡ πᾶσα γῆ τῆς δόξης καὶ χάριτος τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ ἐπληρώθη*: quibus continuo adjungit: *Διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ λέγει· Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν κ. τ. λ.* J. A. TURRETINUS tamen *Opp. Omn.* Tom. II. p. 407 esse monuit, qui PAULUM religionem Naturalem denotasse vellent. Et sane in paucissimis hisce facile princeps est CALVINUS, cujus verba haec sunt: „ Accipio ejus citationem „ in proprio et germanico Prophetae sensu, ut tale sit argumentum: Deus jam ab initio mundi suam gentibus divinitatem manifestavit: etsi non „ hominum praedicatione, creaturarum tamen suarum testimonio." CALVINUM praeter MARLORATUM sequitur BEZA, qui in postremâ suâ N. T. editione ita dicit: „ Loquitur Apostolus, „ citans DAVIDIS verba de universali vocatione, „ de quâ supra I: 19 et *Act. XIV*: 17: neque „ possum quidem ego iis assentiri, qui de Apostolico ministerio istud DAVIDIS testimonium

alle-

„ allegorice interpretantur." Utique, si ex duabus sententiis, quarum altera in proprio et vero alicujus loci excitati sensu acquiescit, altera sensum ei subjicere jubet improprium et figuratum, illa, ceteris paribus, tutius quam haec eligetur; vox DAVIDIS proxime sequens: *εἰς πᾶσαν τὴν γῆν κ. τ. λ.* interpretationem commendat, a viris hisce eximiis probatam. Neque, iis obtemperantes, universam tantum dictionem Poëtae ex ejus mente interpretamur, sed sigillatim etiam verbis *εἰς πᾶσαν τὴν γῆν* et *εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης*, quae multos valde exercuerunt, vim suam et potestatem vindicamus. Erit fortasse, qui *Hyperbolen* huic loco inesse dicat, quali usus sit HERODIAN. *Hist.* Lib. II. cap. 11, de temporibus dicens Reipublicae liberae: *Οὐδέ τι ἦν γῆς μέρος, ἢ κλίμα οὐρανοῦ, ὅπου μὴ Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν ἐξέτειναν.* Et sane ARETIUS aliique interpretes haud spernendi ad loca provocant, in quibus ipse PAULUS similem Hyperbolen usurpavit, uti *Rom. I*: 8. *Col. I*: 6. Sed vereor, ut audacior loquendi formula, illis in locis reperiunda, huic orationi conveniat, ubi Apostolus, ut reprehensorem refellat, in subtili versatur disputatione. Audiendi vero non sunt, qui cum Patribus Eccles. res olim gestas sermone mirifice exaggerant, CHRISTIque doctrinam Apostolorum aetate ad extremas jam terrae oras penetrasse contendant. Minus recte quoque cum STORRIO (*) ex

eo,

(*) *Opusc. Acad.* Vol. I. p. 81. STORRIUM jam praecesserunt VORSTIUS ad h. l. aliique.

eo, quod PAULUS poëtae verba non diserte allegavit, sed suae tantum disputationi intexuit, interpretationi vulgari praesidium quaeretur. Auctorem enim non de iisdem, ad quos oratio spectat proxime praecedens, locutum esse, intelligimus ex usu Pronominis αὐτῶν, quod nihil, quo referatur, hac in oratione habet. Quod autem, Pronomine illo utens, in mente retinebat, quidni aeque esse potuit τῶν οὐρανῶν, ac τῶν εὐαγγελιζομένων? Sed redeamus ad formulam ῥῆμα Θεοῦ, quae, quamvis vers. 17 *doctrinam* CHRISTI designat, verss. tamen 18, 19 aliter nobis accipienda videtur, et ita quidem, ut cogitando adjecta interrogationi: μὴ οὐκ ἤκουσαν; *vocem Dei naturae quasi ore prolatam*; adjecta vero verbis: μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; *vocem ejus cum Israëlitis per* MOSEN *et Prophetas communicatam* significet. Quo nomine a nonnullis fortasse graviter in leges Hermeneuticas peccasse censebimur, notionibus adeo confundendis, ut omnis tandem interpretatio in lubrico versaretur. Sed hanc culpam a nobis amovere, haud erit difficile. Neutiquam enim formulae ῥῆμα Θεοῦ tribus illis in locis notionem tribuimus triplicem, sed unam eandemque, *vocis* nempe *Dei*, quae ejus notio propria est: verumtamen, pro diverso disputantium consilio, nunc hoc, nunc illud, nunc aliud ei adjungimus, ex oratione contextâ erutum. Hoc autem ut nemo negabit, bonis justisque interpretandi regulis convenire; sic ducem sequimur ipsum PAULUM, qui vers. 8, ut jam supra diximus, eâdem formulâ primum *legem Mosaicam*, deinde *doctrinam Christianam designat*

si-

signat. Et, quamquam illo in loco de *voce naturae* non loquitur, alibi tamen, uti *Act. XIV*: 17 et *Rom. I*: 18—20, quod a BEZA notatum vidimus, eam *μαρτύριον* Θεοῦ et *ἀποκάλυψιν* et *φανέρωσιν* Θεοῦ appellat: quare et nihil obstat, quominus hîc vocem illam appellare potuerit *ῥῆμα* Θεοῦ. Quod si paulo insolentius videtur; animadvertendum est, Apostolum, cum cavillatorem verbis: Μὴ *οὐκ ἤκουσαν*; sic interrogantem faceret: *Nonne audiverunt vocem Dei naturâ loquentis?* jam ipsum in animo habuisse effatum DAVIDIS, quo enunciando, quidquid obscuritatis vel ambiguitatis interrogationi inesset, penitus tolleretur. Ceterum si cui nostram sententiam non probaverimus; aut misere frigebit tota PAULI disputatio, aut verba Μὴ *οὐκ ἤκουσαν*; nisi fallimur, sic certe explicanda erunt: *Nonne Gentes illae, de quibus maxime loqueris, doctrinam* CHRISTI *audiverunt et pariter ac Judaei rejecerunt?*

De ceteris versus 18 verbis disputare nihil attinet. Notandum tamen est, vocabulum *μενοῦνγε*, ubi ab initio alicujus sententiae reperiatur, indicio esse solere responsionis inchoatae. Vide *Luc. XI*: 28. *Rom. IX*: 20. Argumentum igitur nobis praebet refellendi nonnullos interpretes, qui PAULUM hoc in loco reprehensorem quendam induxisse nolunt. Cui opinioni quoque repugnat ipsius vocabuli notio, ita definienda, ut proxime accedat ad notionem vocis Latinae *profecto*. Quadrat enim ea non solum in loca modo allata, sed etiam in Vulg. editio-

tionem *Phil. III*:8, nec non in alia, quae laudantur a WETSTEN. ad *Luc. XI*: 28. Quare SUIDAS, PHAVORINUS et *Etymologus magn.* hoc Adverbium recte exponunt τὸ ἀληθὲς vel ἀληθῶς.

Pervenimus ad vers. 19, ubi verba Ἀλλὰ λέγω· Μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; non adversarii esse putamus, PAULUM iterum interpellantis; sed ipsius Apostoli, in responsione sua procedentis: cujus rei causam supra indicavimus. Hîc notandum restat, si verba illa adversario tribuantur, hunc locum carere, quo refellatur ejus contradictio. Nam proxime sequentia verss. 19 — 21 ad alium referri non posse, quam a quo profecta sint praecedentia: ἀλλὰ — ἔγνω, ex eo apparet, quod sine Conjunctione aliquâ Adversativâ scriptum reperimus: Πρῶτος Μωϋσῆς λέγει. Male igitur CHRYSOST. et THEOPHYL., quos alii sequuntur, ἑτέραν huic versui inesse ἀντίθεσιν scripserunt. Male item cum nonnullis interpretibus KOPPIUS a verbis demum πρῶτος κ. τ. λ. PAULUM responsionem suam incepisse opinatur. Haec autem verba quomodocunque accipiantur, salva erit nostra interpretatio. Nec tamen a nobis impetrare possumus, ut vocem πρῶτος, vel ad viri docti modo memorati sententiam pro πρότερον sumamus, simulque ad testimonium DAVIDIS praecedens et ad sequens effatum JESAJAE referamus; vel cum WETSTENIO voci praecedenti Ἰσραὴλ adjungamus; vel SEMLERI auctoritate exponamus: *prior nobis Apostolis.* Sed longâ disputatione non opus esse videtur. Quemadmo-

modum enim et MATTHAEUS Cap. X : 2, scribens πρῶτος Σίμων κ. τ. λ., PETRUM *primum* esse monuit in Apostolorum ordine, et JOSEPH. *de Bell. Jud.* Lib. I. cap. 1, de JUDA *Maccabaeo* narrans: Πρὸς Ῥωμαίους πρῶτος ἐποιήσατο φιλίαν, hunc pro *primo* habuit Judaeorum, qui foederis societatem cum Romanis inierant; sic PAULUS formulâ πρῶτος Μωϋσῆς λέγει MOSEN primum fuisse dixit, qui Israëlitarum notaret contumaciam. Pari modo ipse 1 *Tim. II* : 13, quem locum debeo GERSDORFIO l. c. p. 410, 411, scripsit: Ἀδὰμ γὰρ πρῶτος ἐπλάσθη, ubi tamen πρῶτος, quoniam sequitur tantum εἶτα Εὔα, pro Comparativo πρότερος dicitur; ita ut haec Apostoli mens sit: *Parentum generis humani, quos formabat Deus, prior fuit* ADAMUS, *posterior* EVA (*). Si quis me rogat, ubinam hoc loco sint *alter et ceteri*, qui *primo* illi succedere debeant; dicere non haesito, fuisse eos in mente PAULI, verbis vero non expressos esse. Reticeri puto, et hîc, et alibi, uti *Luc. XII* : 1. *Rom. I* : 8. *III* : 2. 1 *Cor. XI* : 18, vo-

(*) Fortasse nonnulli hinc colligent, in loco etiam, in quo versamur, πρῶτος pro πρότερος scriptum esse; sequitur enim et hîc *alter*, nempe JESAJAS, vers. 20. Quos equidem non valde reprehendam: dubito tamen, an aeque ad JESAJAM, quo *multo plures* Apostolus recensere potuisset, Nomen illud πρῶτος respiciat, atque in altero loco ad EVAM, quae *una* mater fuit generis humani. Sed qui, vocabulo πρῶτος vi comparativi πρότερος tributâ, ceterum de interpretatione consentiunt cum KOPPIO, PAULUM valde insolenter loquentem faciunt, uti DATHIUS in *Disput. de Cantic. Mosis*, quae reperitur in *Syllog. Opuscul. ad Doctr. Sacr. pertin.* ed. a MUNTINGH. Tom. II. p. 58.

vocem πάντων, quae orationi adjecta est 1 *Tim. II*: 1. Cff. GROTIUS aliique. Quod attinet verbum ἔγνω, formulam nunc expositam hoc in versu praecedens, vulgarem ejus retinemus notionem: a quâ haud scio, cur discedendum sit, cum ipse PAULUS Cap. II: 18, de homine itidem Judaeo dicens: γινώσκεις τὸ θέλημα, significaverit, eum *voluntatem Dei sibi cognitam habere.*

Gravius argumentum, quo nostram hujus orationis interpretationem confirmemus, loca nobis praebent ex V. T. allata. Nimirum duo priora loca, quae verss. 19, 20 reperiuntur, hoc consilio ab Apostolo excitari potuisse, ut efficeret, Deum ab antiquo id, quod nunc ad Gentes varias secum reconciliandas ageret, Israëlitis comminatum esse, nemo prudens infitiabitur. At fieri etiam potuit, ut testimoniis his ostendere vellet, populum illum gravissimam Dei indignationem in se contraxisse, quippe qui ipsius placita audiisset, adeoque cognita haberet, et tamen sperneret. Utra vero interpretatio alteri praeferenda sit, quae a KOPPIO aliisque viris doctis probatur, an quae nobis placet, elucere putamus ex tertio V. T. loco, qui vers. 21 laudatur, *totusque in Israëlitarum proterviâ increpandâ versatur, nullâ plane Gentium exterarum factâ mentione.* Hujus autem loci, in sententiâ PAULI judicandâ, maxime haberi debet ratio, quoniam, orationem concludens, verba sine dubio continet, in quibus quaestionis cardo vertitur. Cff. vers. 5-8. Cap. IX: 25-27. *Joann. XII:* 37-40. *Hebr. I:* 7-9.

Ce-

Ceterum breviter etiam illustremus verba ἀποτολμᾷ καὶ λέγει, quae scripta sunt pro τετολμηκότως λέγει. Recte enim GLASS. l. c. Tom. I. p. 273 hunc locum in iis esse monuit, in quibus *Verbum* positum est pro *Adverbio*. Similiter *Sirach. L* : 17 legimus κατέσπευσε καὶ ἔπεσαν. Praesertim comparari merentur, quae *Marc. XV*:43 de JOSEPHO senatore dicuntur: Τολμήσας εἰσῆλθε πρὸς Πιλάτον: quemadmodum auctor *Proteuang. Jacob.* apud FABRIC. *Cod. Apocr.* N. T. Vol. I. p. 121 scripsit: Τολμήσας εἷς ἐξ αὐτῶν εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἁγίασμα: et HOMERUS *Odyss.* Γ. vers. 76 et 252 Participio θαρσήσας usus est. Alia hujus generis dabunt VORST. *de Hebraismis* Part. II. p. 157. RAPHELIUS *Annot. in Sacr. Script.* et PALAIRET ad MARCI l. l. Ad hoc autem PAULI dictum respexisse CHRYSOSTOMUM, cum JESAJAM Opp. Tom. XII. p. 390 A. τὸν τολμητὴν vocaret, haud leviter conjecit MATTHAEUS in JOANN. CHRYS. *Homiliae IV ex omnib. ejus Opp. Select.* cet. Vol. II. p. 30: sed hunc ipsum quoque Apostolum titulo illo insignivit Tom. II. p. 513 A.

———

1 *Cor. IX* : 1.

Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; Οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα; Οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ;

Hunc versum ad Vulgarem descripsimus N. T. editionem, quam ducem hoc in loco interpretando recentiori quoque memoriâ secuti sunt HARWOODUS, ROSENMULLERUS, HAMELSVELDIUS aliique. SEMLERUS in *Paraphrasi* ad h. l. conjecit, verba *Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος*; inde a TERTULLIANI tempore orationi PAULI adjecta exque eâ expungenda esse, quod jure meritoque improbavit HERINGA l. c. p. 442. GRIESBACHIUS vero hanc primam interrogationem secundae: *Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος*; postponens, orationem sic constituit: *Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; Οὐχὶ κ. τ. λ.* Quae scriptio non tantum probata erat a BEZA in tertia N. T. editione et seqq. GROTIO, BENGELIO, WETSTENIO, VALCKENAERIO, aliisque viris doctissimis, sed librorum etiam bonorum et antiquorum fide et auctoritate nititur. Praeterea jam monuit GROTIUS, ordine verborum ita constituto, melius crescere orationem. Cui et assentiri video F. A. G. KRAUSIUM in PAULI *ad Corinth. Epist. Graec. perpet. Annot. illustr.* ad h. l., ita tamen, ut haec an Vulgaris editio vera sit, anceps haereat. Et sane, si ad librorum veterum testimonia censuram agere de-

debemus, non omnis plane tollitur dubitandi causa: at argumenti etiam, in quo tractando Apostolus versatur, ratione habitâ, satis manifestum erit, GRIESBACHIUM ei scriptionem suam vere restituisse. Sed hoc ut efficiatur, paulo copiosius de notione vocis ἀπόστολος disputandum est.

Ἀποστόλου appellatio, quam Graeci de *duce* usurpant *cum exercitu vel classe emisso* (*), in scriptis N. T. ad legatos transfertur, qui religionis Christianae causâ emissi sunt: ibique de certo quidem dicitur hominum genere, ad eos hoc nomine ab aliis istius religionis doctoribus distinguendos. Primum ita nuncupati a CHRISTO sunt duodecim illi discipuli, qui perpetui erant itinerum ejus comites, ejusque consuetudine familiari utebantur. Vide *Marc. III*: 14. *Luc. VI*: 13: quare et hoc se titulo dixit PETRUS 1 *Pet. I*: 1. 2 *Pet. I*: 1. Praeterea hunc titulum accepit MATTHIAS, in JUDAE proditoris locum adscitus *Act. I*: 25, 26. Eâdem denique appellatione PAULUM in epistolis suis frequenter de se usum esse, nemo ignorat. Hoc autem nomen *muneris* fuisse, *ab aliis muneribus diversi*, tum ex locis elucet excitatis, tum quoque ex verbis PAULI *Eph. IV*: 11: Καὶ αὐτὸς ἔδωκε, τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιστὰς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους: quae plane intelligi nequeunt, si, qui *Apostoli* essent, sal-

(*) Cff. HESYCH. ad h. v. BEKKERI *Anecd. Graec.* Vol. I. p. 217 aliique.

salvo loquendi usu, *Prophetae* quoque, et *Euangelistae*, et *Pastores* vel *Doctores* appellari, aut hi vicissim *Apostolorum* nomine dici potuerint. Cf. KOPPIUS ad h. l. Quare non audiendi sunt, qui ex eo, quod hic *munera* inter se mutuo discernuntur, non *homines*, hisce muneribus praefecti, haud abs re fuisse colligunt, si unus idemque ἀπόστολος, εὐαγγελιστὴς et διδάσκαλος vocaretur (*). Conferri omnino cum hoc loco meretur aliud PAULI dictum 1 *Cor. XII*: 28, 29, ubi a προφήταις et διδασκάλοις, quomodocunque ceterum haec oratio difficilis explicari debet, sine dubio distinguuntur *Apostoli*. Et pari modo *Act. XV*: 2, 4, 22. *XVI*: 4 οἱ ἀπόστολοι, οἱ πρεσβύτεροι et ὅλη ἡ ἐκκλησία seorsim recensentur. Quae distinctio cum haud fugeret PETRUM, hic sibi 1 *Pet. V*: 1 nomen συμπρεσβυτέρου tantum tribuit, quatenus hoc commune habebant *Presbyteri* et *Apostoli*, ut utrisque *cura regundae societatis Christianae* imposita esset. Neque eum alio se ita vocasse consilio, quam ut admonitionem Presbyteris dandam emolliret, iisque acceptam faceret, quemvis hujus loci inspectio docebit. Sed multo magis nostrae sententiae primâ fronte obstare videtur quod legimus *Act. XIV*: 4, 14. Hic enim ἀπόστολος unâ cum PAULO nuncupatur BARNABAS, qui tamen aliud quam *Euangelista* non fuit. At vero, sicut hoc nomen ei non adscribitur, ut a *ceteris religionis doctoribus*, sed ut a *Judaeis Lystrorum-*

(*) Ita post alios nuperrime RINCK: *Das Sendschreiben der Korinther an den Apostel Paulus und das dritte Sendschreiben Pauli an die Korinther in Armenischer Uebersetzung erhalten* cet. p. 190.

rumque incolis discernatur; sic istud gerere desiit, postquam legationem perfecerat, nunc ei commissam. PAULUS contra appellationem retinuit, quod in Apostolorum proprie et vere ita dictorum numero erat. Vox *ἀποστόλου* nempe his in locis a LUCA longe aliter quam vulgo usurpatur, breviterque dicitur pro *ἀπόστολος τῆς ἐκκλησίας*, quem titulum BARNABAS et PAULUS pariter nacti sunt propter legationem, a sectatoribus CHRISTI Antiochenis acceptam. Vide *Act. XIII*: 2, 3. Unde sequitur, mentem LUCAE non percepisse SCHOTTUM, cum eum his in locis *de legatis* JESU loquentem faceret; neque officio satis bene functos esse interpretes, qui Graecum *ἀποστόλου* nomen in sermonem Latinum transferrent: sed verba *οἱ ἀπόστολοι Βαρνάβας καὶ Παῦλος* vertendo reddenda esse: *legati* (scil. Ecclesiae) BARNABAS *et* PAULUS. Quod autem post alios existimavit MICHAËLIS ad h. l., notione ampliore hic PAULUM Apostolum dici quam BARNABAM; tanti profecto non est, ut datâ operâ refellatur. Ne vero quis putet, Ellipsin vocum *τῆς ἐκκλησίας* a nobis temere fingi, auctorem ejus supplendae ipsum proferamus PAULUM, qui 2 *Cor. VIII*: 23 *ἀποστόλους ἐκκλησιῶν* viros dicit, communi Christianorum suffragio constitutos, ut pecuniam adhuc collectam et postea colligendam ad ejusdem disciplinae socios, in Judaeâ habitantes, transportarent. Vide vers. 18 sqq. et cff. DRUSIUS et GROTIUS ad h. l. Sic et *Phil. II*: 25 EPAPHRODITUM *τὸν ἀδελφὸν, καὶ συνεργὸν, καὶ συστρατιώτην μου, ὑμῶν δὲ ἀπόστολον* appel-

lavit, quoniam iste, secum Romae versans, Philippensium vices *legati* nomine sustinuerat: ut apparet ex vers. 30 et Cap. IV: 18.

Itaque unum tantum fuit hominum genus, quod in N. T. libris *Apostoli* appellatione, quam semper et ubique gererent, a ceteris religionis Christianae doctoribus discerneretur. Hujus autem appellationis causa in eo posita est, quod huic docendi officio non ab hominibus, ut ceteri omnes, sed *a Deo per* JESUM CHRISTUM praefecti erant. Idcirco enim perpetuos illos JESU discipulos, de quibus supra diximus, nomen istud tulisse, ex *Marc. III*: 14. *VI*: 7. *Luc. IX*: 2 perspicue intelligimus. Quod tamen jam latuisse videtur JUSTINO *Martyri*, cum in *Apologia I.* pro *Christianis* p. 86 B., de his CHRISTI scribebat comitibus: Εἰς οὐρανὸν ἀνερχόμενον ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες, καὶ δύναμιν ἐκεῖθεν αὐτοῖς πεμφθεῖσαν παρ' αὐτοῦ λαβόντες, καὶ εἰς πᾶν γένος ἀνθρώπων ἐλθόντες, ταῦτα ἐδίδαξαν, καὶ ἀπόστολοι προσηγορεύθησαν. De MATTHIA, in JUDAE locum suffecto, infra monebimus. PAULUM vero quod attinet, hunc eâdem de causâ *Apostoli* titulo insignitum esse, ex eo apparet, quod ille se plus semel ceteris Apostolis plane dixit aequalem. Vide 2 *Cor. XII*: 11, 12. *Gal. I*: 15 sqq. *II*: 8: quibus adde *Rom. XVI*: 7, ubi haec legimus: Ἀσπάσασθε Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν, τοὺς συγγενεῖς μου καὶ συναιχμαλώτους μου, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ. Quo ex loco SCHLEUSN. WAHL. l. l.

v.

v. ἀπόστολος aliique, praeeuntibus multis veterum, minus recte colligunt, *quemlibet* religionis Christianae *doctorem* in N. T. interdum *Apostoli* nomen gerere. Nam verba: οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις cum GROTIO et KOPPIO explicanda esse: *Qui in laude sunt apud Apostolos*, docent proxime sequentia: οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ, quae ad perpetuos spectant JESU comites et discipulos. Neque igitur cum VENEMA in VERSCHUIRII *Opusc.* p. 394 voci ἀποστόλοις interpretandi causâ adjiciendum est ἐκκλησιῶν. Praeterea se PAULUS *Eph. I*: 1. 1 *Tim. I*: 1 et alibi non solum diserte ἀπόστολον vocat Ἰησοῦ Χριστοῦ, sed a TIMOTHEO et SOSTHENE, utpote ἀδελφοῖς, hoc nomine se 1 *Cor. I*: 1. 2 *Cor. I*: 1. *Col. I*: 1 expresse distinguit: uti et *Tit. I*: 1 titulo amplioris notionis δοῦλος Θεοῦ appellationem definitam ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ adjicit. Inprimis vero legenda sunt *Act. IX*: 15. *XXII*: 21. *XXVI*: 17. *Gal. I*: 1, 10 sqq. 1 *Tim. I*: 12, ubi singularis PAULI ex Pharisaeorum sectâ ad CHRISTI disciplinam transitus, vel exponitur, vel attingitur. His enim in locis, tam ex usu verbi ἀποστέλλειν, quam ex universâ orationis serie intelligimus, legationem, huic viro ab ipso CHRISTO delatam, id effecisse, ut *Apostolus* nuncuparetur. Hactenus recte ISIDORUS *Pelus. Epist. Lib. IV. Ep.* 80: Σκεῦος ἐκλογῆς μοι ἐστὶν οὗτος, περὶ Παύλου φησὶν ὁ Χριστὸς, ὅτε τὸ ἀποστολικὸν αὐτῷ κήρυγμα ἐνεχείρισεν. Cff. BEZA ad *Gal. I*: 1 et *Eph. IV*: 11. CAMERON. ad 1 *Cor. IX*: 1.

Quae

Quae cum ita sint, statuere haud veremur, scriptores N. T., ubi viros illos, qui *non ab hominibus*, sed *a Deo per* JESUM CHRISTUM religionis Christianae doctores creati essent, uno tantum nomine *ἀποστόλου* dicerent, breviloquentiâ usos esse, cum eos plenâ formulâ dicere deberent *ἀποστόλους Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Cf. STEPHAN. *Thes.* Tom. III. p. 999. Neque hoc tantummodo ex supra sequitur disputatis, sed aliunde quoque probari posse videtur. Ipse enim PAULUS, cum se *Rom. I*: 1 *κλητὸν* vocavit *ἀπόστολον*; Ellipsin verborum *ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ* vers. 5 supplet scribendo: *Δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν* i. e., ut bene monuit KOPPIUS, *χάριν τῆς ἀποστολῆς*. Similiter oratio 1 *Cor. XV*: 8, 9, ubi sibi, qui non nisi infimum inter Apostolos locum obtinere mereretur, CHRISTUM postremum apparuisse tradit, sententiae nostrae probitatem valde confirmat. Et nisi verba 1 *Tim. II*:7: *Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ ἀπόστολος* sic explicantur: *Ipse me* JESUS CHRISTUS *oratorem suum et Apostolum constituit*, ita ut voci *ἀπόστολος* cogitando addantur verba *Ἰησοῦ Χριστοῦ*; haud scio equidem, an proxime sequens asseverandi formula: *Ἀλήθειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι*, plane frigeat.

Longiores hac de re esse nolumus. Nec tamen silentio praeterire licet locos, qui conclusioni nostrae opponi possunt. Cujus generis est, qui reperitur 1 *Cor. IV*:9, ubi dicit PAULUS: *Δοκῶ γὰρ ὅτι ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν, ὡς ἐπιθανατίους κ. τ. λ.* Sed frustra viri docti hinc pro-

probare student, APOLLO aeque ac PAULUM *Apostoli* nomen gessisse. Hac enim in oratione auctorem, non de illo viro, sed *de se uno*, in numero, ut solebat, plurali locutum esse, luculenter apparet, et ex argumento verss. 8 — 13, quod hunc in unum quadrat; et ex permutatione numeri illius pluralis cum singulari verss. 14, 15, ubi se a ceteris omnibus Corinthiorum praeceptoribus discernit; et ex locis quoque similibus 2 *Cor. VI*: 4 sqq. *XI*: 21 sqq., in quibus prope eadem de se uno gloriatur; et ex usu denique vocis ἐσχάτους, quae quam egregie vitae PAULI congruat, ex Cap. XV: 8, 9 modo vidimus, an vero de APOLLO usurpari potuerit, valde dubitamus. Contendit quidem KYPKIUS ad h. l., PAULUM hac voce *homines infimae sortis* designasse; quem ut multi praecesserunt, sic secuti sunt KRAUSIUS, SCHOTTUS, JASPIS aliique. Sed notionem voci tribuunt, in nullo N. T. loco nobis occurrentem, PAULIque orationi, dicentem illum facientes, vel: *Nos Apostolos vilissimos eorum fecit similes, qui mortis damnati sunt*, vel: *Nos Apostolos fecit homines vilissimos, quasi mortis damnatos*, languorem inferunt minime tolerandum. Multa autem aliorum scriptorum loca a WETSTENIO, ad hanc interpretationem commendandam, nequidquam allata esse, cuivis ea cum PAULI verbis comparanti manifestum erit. Nec recte se habere putamus VALCKENAERII sententiam, quum structura verborum naturalis haec sit: Ὁ Θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἀπέδειξεν ἐσχάτους, ea sic exponenda esse: *Deus, nos, qui*

qui sumus Apostoli, posuit supposititios bestiarios, vel *certae morti destinatos*. Approbari enim haec deberet interpretatio, si PAULUS scripsisset καὶ ὡς ἐπιθανατίους; nunc vero, cum tantum scripserit ὡς ἐπιθανατίους, satis certum est, Adjectivum ἐσχάτους a praecedente voce ἀποστόλους non separandum esse. Sed nihil in oratione PAULI reprehendendum erit aut desiderabitur, si eam sic explicueris: *Me, postremum Apostolum, eorum fecit similem, qui mortis damnati sunt*. Cff. NOESSELTI *Opusc.* Fasc. II. p. 144. Ceterum optimo jure VALCK. verbo ἀποδείκνυμι notionem vindicat *faciendi*. Vide praeter Lexicogr. N. T. STEPHAN. l. c. Tom. I. p. 927 et BUDAEUM l. c. p. 687. Multo minus nostrae sententiae repugnant, quae loquens inducitur JESUS *Apoc. II*: 2: Καὶ ἐπειράσω τοὺς φάσκοντας εἶναι ἀποστόλους, vel, ut cum aliis legendum videtur: Καὶ ἐπείρασας τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς ἀποστόλους εἶναι, ubi VITRINGA in *Anacrisi Apocalyps.* ad h. l. *magnae auctoritatis doctores* generatim denotari putat, quocum alii consentiunt interpretes. Sed quid impedit, quominus vox ἀποστόλους accipiatur pro ἀποστόλους Ἰησοῦ Χριστοῦ? Utique notantur hîc homines ejusdem indolis atque illi, qui a PAULO 2 *Cor. XI*: 13 ψευδαπόστολοι dicuntur, et quorum culpam in eo constitisse, quod sibi falso titulum *Apostolorum*, vel *legatorum* CHRISTI arrogarent, ipse docet auctor, huic voci, ejus interpretandae causâ, non solum adscribens ἐργάται δόλιοι, sed etiam μετασχηματιζόμενοι εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ: quae bene exposuit ROSENM.: *Personam*

nam induunt Apostolorum Christi. Cf. GROTIUS ad h. l.

Restat, ut paucis illustrentur verba LUCAE *Act. I*:26: *Συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων*, quae supra p. 100 vertendo reddenda esse diximus: *undecim Apostolis annumeratus est.* At si ita explicantur: *Undecim Apostolis divinitus per* JESUM CHRISTUM *creatis duodecimus hominum curâ adjunctus Matthias est*; ne sic quidem ea nostram evertunt sententiam. Concedimus enim, *homines* JOSEPHUM et MATTHIAM in medio collocasse dignosque vocasse, quorum alteruter in JUDAE locum succederet: sed cum sors exierit MATTHIAE, postquam *Dominum*, ut ex utroque viro, quem vellet, eligeret, precibus suis adiissent; sequitur, hunc Apostolum *ab illo ipso Domino*, non ab hominibus creatum esse. Hic autem *Dominus*, utrum *Deus Pater*, an ipse JESUS sit, discrepant interpretes. Si de *Deo* locutus est LUCAS; hic locus confirmat, quae de *Divinâ* Apostolorum electione statuimus: neque excluditur interventus JESU, quo tanquam ministro Deus in literis sacris societatem Christianam gubernare traditur. Si huic interpretationi altera praeferri debet; quisque intelligit, MATTHIAM haud secus ac ceteros Apostolos docendi provinciam a JESU adeptum esse. Atque hoc tandem consilio, ut vicarius JUDAE, pariter ac ceteri Apostoli, electione coelesti gauderet, concionis moderatores rem ad sortes vocasse, nobis propter ea, quae disputa-

tavimus, multo probabilius est, quam eos, quoniam *Spiritus Sancti* lucem adhuc desiderarent, ex more majorum, sortiendo, uter horum virorum Apostoli munus accipere deberet, sciscitari voluisse. Quod post alios censuit CALMETUS in dissert. hoc de argumento scriptâ et insertâ libro, cui titulus: *Dissertations qui peuvent servir de Prolegomenes de l'Ecriture sainte.* Tom. III. p. 463 sqq. Sed causam hujus sortitionis minus jam intellexerunt veteres, qui, ad eligendos qualescunque religionis Christianae doctores vel sacrorum antistites, primi hujus concilii exemplum sequebantur. Atque hoc antiquissimo jam tempore saepe factum esse, ex plus uno loco, a SUICERO in *Thes.* Tom. I. p. 110 sqq. allato, quidquid CALMETUS contradicit, colligi potest. Quibus addantur verba CLEMENTIS *Alex. in libr. Quis dives* cet. cap. 42, ubi JOANNES Apostolus ab eo dicitur: *ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσων, τῶν ὑπὸ τοῦ Πνεύματος σημαινομένων.* Haec enim vera auctoris scriptio esse videtur. Cff. POTTER et SEGAAR ad h. l. nec non VALES ad EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. III. cap. 23, quos nuper secutus est OLSHAUSEN in *Historiae Eccles. Vet. monumenta praec.* Vol. I. p. 17. Postrema autem hunc sensum habere putamus: *partim sortiendo sacrorum antistites facturus, quoscunque nempe sortis eventu Spiritus Sanctus designaret.* Quamquam enim satis constat, verbum *κληρόω*, etiam in N. T., de qualicunque electione vel beneficii colla-

latione dici; valde tamen dubitamus, num, ubi ei adjicitur vox κλήρῳ, *sortitio* excludi possit. Ceterum, cum hujusmodi sortitio JOANNI prorsus tribui nequeat, suspicamur, quae hic a CLEMENTE narrentur, vel temere Apostolo afficta, vel certe corrupta esse: quorum tamen hoc illi praeferendum est.

Hisce de *Apostoli* appellatione disputatis, videamus nunc, quantum oratio PAULI supra descripta iis illustretur. Nimirum in Vulgari N. T. editione, si hoc in loco, ut alibi, vox ἀπόστολος breviter scripta est pro ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, auctor inducitur Corinthios primum rogans, *an non a* JESU CHRISTO *Apostolus creatus sit*, et tum demum, *an non a legis Mosaicae vinculis ita liberatus sit, ut pro suo agere possit arbitrio in carne vel edendâ vel non edendâ* (*). Quae orationis series etiamsi ferenda esse censeatur; difficile tamen dictu est, quomodo cum eâ cohaereat interrogatio tertia: Οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα; Qui igitur Vulgarem editionem sequuntur, in eo, praecedentibus CHRYSOST. THEODOR. OECUMEN. THEOPHYL., fere consentiunt, ut verba illa sic in-

(*) Nonnulli quidem verba: Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; aliter interpretantur, ut auctor *Schol.* A in MATTHAEI Edit., hanc PAULO interrrogationem suggerens: Μὴ γὰρ ἔχω τινα, τὸν κωλύοντά με, ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου διατρέφεσθαι; sed nisi et orationis praecedentis Cap. VIII. immemores esse, et occupare volumus, quae demum a vers. 4 hujus Cap. tractantur; interpretatio tenenda est, supra proposita.

interpretentur: *Nonne ego, aeque ac ceteri Apostoli, Jesum Christum Dominum vidi?* Sed primum temere sumunt, haec scripta esse pro Οὐχὶ καὶ ἐγὼ Ἰησοῦν κ. τ. λ. Deinde hac suâ interpretatione ipsi significant, tertiam interrogationem cum primâ arcte copulandam esse, siquidem utraque *non ad hominem Christianum qualemcunque* spectet, ut quae in medio posita est, sed ad *summum Jesu legatum*. Contra vero, si verba: Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; ceteris praeponimus, et singulae hoc in versu sententiae clarae et perspicuae sunt, et universa PAULI argumentatio viâ et ratione procedit. Quod ut nobiscum sentiant lectores, priusquam ulterius progredimur, sensum enarrare lubet, quem huic loco inesse arbitramur. Hac igitur utamur circumlocutione: *Ne putetis, me ad id, quod dixi, necessitate cogi: nam nonne tam liber sum a legis Mosaicae vinculis, ut pro arbitrio vel carnem qualemcunque edere vel non edere possim? Sum profecto: nam nonne* JESU CHRISTI *vere sum Apostolus? Sum itidem: nam nonne hunc ipsum* JESUM CHRISTUM *Dominum nostrum vidi et ab eo hoc Apostoli munus accepi? Vidi sane et accepi: nam nonne vos, quos ad ejus doctrinam perduxi, hujus rei mihi testes estis?* En igitur PAULUM suavi et eleganti gradatione ab aliis ad alia procedentem et ita scribentem, ut interrogatione continuo interrogationi respondeat. Nihil autem nos temere affinxisse Apostolo, sed proposuisse tantum, quorum vestigia in ipsius oratione satis manifesta essent, certo nobis persuasum habemus. Unum tamen est, quod

quod in dubium vocari possit: interpretatio nempe verbi ἑώρακα, quae forte nonnullis pugnare videbitur cum loquendi usu. Et libenter equidem fateor, verbo ὁράω per se non inesse *muneris alicujus ab aliquo accipiendi* notionem, quae supra ei adjecta est: sed quis ideo negaverit, fieri potuisse, ut PAULUS, cum scriberet ἑώρακα, in mente quoque haberet: *et ab eo hoc Apostoli munus accepi?* Jam supra notavimus, scriptores veteres haud raro vulgari alicujus verbi notioni aliam, quam ex oratione contextâ repeterent, cogitando adjunxisse. Atque hoc nullis verbis frequentius accidisse reperimus, quam verbis *videndi*, quae saepe ita usurpantur, ut etiam includant, quod ex *visione* sequitur. Hinc plus semel fit, ut *familiarem* etiam denotent *consuetudinem*, uti in libro *Susann.* vers. 12: quo in loco cum legimus: Καὶ παρετηροῦσαν φιλοτίμως καθ' ἡμέραν ὁρᾷν αὐτήν; senes libidinosi non id quotidie egisse dicuntur, ut SUSANNAM oculis intuerentur, quod auctor vers. 8 iis contigisse tradit, sed ut familiari ejus uterentur consuetudine. Et eâdem de causâ saepissime verba illa de *cognoscendo* dicuntur et cum γινώσκειν et similibus permutantur. Cff. STORR. *Opusc.* Vol. I. p. 243 et BORGER in *Commentat. de Euang.* JOANN. cet. p. 135. Quemadmodum autem hoc loco verbum ἑώρακα includere putamus sententiam: *Apostoli munus accepi;* sic hac eâdem in epistolâ Cap. XV : 8 aliud *videndi* verbum, scilicet ὤφθη, ut versus hicce et proxime sequens bene inter se cohaereant, exponi debet *apparuit meque Apostolum fecit:* eoque ita exposito tolli pote-

 rit

rit Parentheseos nota, verss. 9, 10 ab editoribus adjecta. Reticetur igitur utroque in loco, quod PAULUS apud LUCAM *Act. XXVI*: 16 diserte expressit, ita dicentem faciens JESUM: Εἰς τοῦτο ὤφθην σοι, προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην καὶ μάρτυρα, ὧν τε εἶδες, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι. Cf. cap. XXII: 14. Pluribus ostendere non opus est, in verbo quoque ἑώρακα nihil esse, quo interpretatio hujus loci a nobis proposita infringatur. Sed monendum adhuc est, argumentationem PAULI a Cap. VIII: 13 ad Cap. IX: 1 minus commode procedere, nisi, alterâ interrogatione: Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; alteri Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; praepositâ, haec interpretatio approbetur.

Attamen erit fortasse, qui, ad notissimam provocans regulam *Critices*, scriptioni faciliori, ceteris paribus, difficiliorem praeferri oportere, hinc sequi contendat, scriptionem editionis Vulgaris retinendam esse. Regulae istius vim et auctoritatem quanti reapse facerem, supra jam declaravi. Sed tantum abest, ut ea hoc in loco scriptioni Vulgari patrocinetur, ut alteram insigniter commendet. Quid? nonne facile fieri potuit, ut, librariorum oculis, tam propter repetitionem earundem vocum ab initio, quam propter similiter desinentia, a genuinâ scriptione aberrantibus, interrogationi: Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; altera: Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; praemitteretur? Atque semel iterumque hoc errore commisso, quis dubitat, quin multi veterum, *Apostoli* titulum tanti pendentes, ut ceteris omnibus prae-

po-

ponendus esset, ulterius eum propagaverint? Praeterea haud pauci errarunt, quod, cum vim nominis *Apostoli* minus intelligerent, non sentiebant etiam, verba: *Οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα;* admodum obscura esse, nisi proxime praecederet formula: *Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος;* Alii a viâ abducti sunt, quod MARCUM et PHILIPPUM Euangelistas, BARNABAM PAULI comitem, ANDRONICUM et JUNIAM, *Septuaginta* JESU *Discipulos κατ᾽ ἐξοχὴν* ita dictos, aliosque plures in *Apostolorum* ordine collocantes, huic appellationi ampliorem omnino notionem tribuebant, quam ei tribuerant N. T. scriptores (*). Quod in antiquis Christianorum doctoribus minus mirandum est; cum recentiori etiam memoriâ sibi hac in re fraudem fieri passi sint interpretes sacrarum literarum excellentissimi (**).

Ce-

(*) Vide praeter eos, quos jam supra notavimus, *Constit. Apost.* Lib. VI cap. 7 ibique COTEL. EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. I. cap. 12, qui tamen Cap. 10 rectius sensisse videtur, ita scribens: *Ὁ Σωτὴρ καὶ Κύριος ἡμῶν -- -- τοὺς δώδεκα ἀποστόλους ἀνακαλεῖται· οὓς καὶ μόνους τῶν λοιπῶν αὐτοῦ μαθητῶν κατά τι γέρας ἐξαίρετον ἀποστόλους ὠνόμασεν. Καὶ αὖθις ἀναδείκνυσιν ἑτέρους ἑβδομήκοντα, οὓς καὶ αὐτοὺς ἀπέστειλεν ἀνὰ δύο δύο κ. τ. λ.* Porro lege HIERONYM. *de viris Illustrib.* cap. 6 et *Comm.* in *Gal. I.* CHRYSOST. ad *Rom. I*:1. *XVI*:7. 1 *Cor. XV*:7. THEODOR. ad 1 *Cor. XII*:28. THEOPHYL. ad *Rom. XVI*:7. Plura dabit SUICERUS. Tom. I. p. 474 sqq.

(**) Vide LUTHER. ad *Rom. XVI*: 7. CALVIN. ad *Act. XIV*: 14. 1 *Cor. IV*:9. BEZAM ad *Rom. I*:1. *XVI*:7. ARETIUM ibid. GROT. ad *Matth. X*: 2. Recentiores mitto interpretes.

Le-

Ceterum orationis seriem in scriptorum veterum libris saepe a librariis confusam et trajectione restituendam esse, praeter alios docet WASSENBERGHIUS in eximiâ *Dissert.* hoc de argumento scriptâ et praemissâ *Schol.* VALCKEN. Tom. II.

Legantur SCHOETTGEN. et SCHLEUSN. in *Lex.* et WAHL. in *Clav.* v. ἀπόστολος.

1 *Cor. X:* 19, 20.

Τί οὖν φημι; ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν; ἢ ὅτι εἰδωλόθυτον τί ἐστιν; Ἀλλ' ὅτι ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει, καὶ οὐ Θεῷ· οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι.

Haec verba PAULI ut bene intelligantur, necesse *primum* est, ad orationem praecedentem animum attendere. Sectatores nempe CHRISTI Apostolus, ne superstitionis exterarum gentium participes evadant, ab epulis sacris earum celebrandis deterrere volens, duo a vers. 16 proponit similia, unde efficiat, quisquis, ad epulas hasce accumbens, cibo potuve Diis consecrato pascatur, cum ipsis Diis societatem inire. Alterum exemplum verss. 16, 17 petitum est a sacrâ coenâ, cujus usu auctor monet communionem haberi cum CHRISTI sanguine et corpore. Atque admonitionis istius hanc profert causam: *Nam uti unus idemque panis nobis porrigitur, sic eo edendo, quotquot sumus, membra nos esse declaramus corporis* CHRISTI, *quoniam omnes panis illius parte utimur.* Sic enim haec oratio explicanda videtur, ita ut et comparatio inter *panem veri nominis* instituatur ac *sectatores* CHRISTI sacram coenam celebrantes, et hi non adeo *secum mutuo* quam *cum Christo* societatem habere dicantur, cumque eo conjuncti esse, quemadmodum membra corporis cum capite. Illud autem jam *Syro* pla-

cuit interpreti scribenti vers. 17: ܐܝܟܢܐ ܗܟܝܠ ܕܚܕ ܗܘ ܠܚܡܐ ܗܘ: ܗܟܢܐ ܦܓܪ ܚܕ ܚܢܢ ܣܓܝܐܐ܀ (*): cujus interpretationem probavit LAUNAEUS ad h. l. locorum excitans copiam, quibus *Particulae Comparationis* cogitando adjici debent (**). Hoc vero nisi Apostolum dicentem facimus; nullo modo ipsius cohaeret oratio, quippe quae versatur in ostendendo, qui in Deorum templis ad convivia sacra assideant, foedissimae superstitionis i. e. *Idololatriae* consortes esse. E contrario egregie secum conspirat auctor, si eum, hoc loco scribentem ἓν σῶμα, in mente habuisse statuimus σὺν Χριστῷ: quemadmodum 1 *Cor. VI*: 16, 17, vocibus ἓν σῶμά ἐστιν et ἓν πνεῦμά ἐστι sine dubio addenda sunt σὺν αὐτῇ i. e. τῇ πόρνῃ et σὺν αὐτῷ i. e. τῷ Κυρίῳ. Vide et Cap. XII: 27. *Rom. XII*: 4, 5. *Eph. I*: 23. *V*: 30 et Cff. GROT. et OLEAR. apud WOLF. in *Cur.* ad h. l. Sed plerosque interpretes, qui haec verba de officio caritatis mutuae accipiunt, in errorem induxisse putamus, tum hujus formulae Ellipsin, tum usum verborum

(*) Minus bene tamen interpretem vocem πολλοὶ pro πάντες sumsisse, quisque videt. Sed multi viri docti in errore versantur, haec vocabula frequenter promiscue usurpari. Quam opinionem haud parum caliginis literis intulisse, nobis persuasum est.

(**) Quod volunt nonnulli viri clari nominis, vocem ἄρτος in priori hujus versus membro *figurate* accipiendam esse, satis refellitur iis, quae membrum ejus continet posterius.

rum PAULI moralem ad concordiam animis inculcandam, qui in CHRYSOSTOMI aliorumque veterum doctorum scriptis reperitur. Ceterum ad vim orationis ejus bene intelligendam animadverti debet, eum ad coenae sacrae respexisse celebrationem, quâcum una haberentur *Agapae*. Sed de harum origine et indole dixi in Disputatione *de bonorum communione, ab antiquissimis* CHRISTI *sectatoribus institutâ*, inter *Commentat. Lat.* Class. III *Instituti Regii Belgici* Vol. IV. aliquando edendâ. Alterum exemplum Apostolus vers. 18 ex more mutuatur Judaeorum sui temporis, utpote carne pecudis Deo immolatae edendâ se communionem cum religione Mosaicâ habere profitentium. Cf. BEZA ad h. l. Quibus ex similibus quid sequeretur, nunc vers. 19 demonstrare debuisset: sed conclusionem lectoribus faciendam relinquens, praevisam occupat contradictionem.

Verba *τί οὖν φημι* et a PAULO profecta, et sic explicanda esse: *Quid igitur hisce volo*? omnes fere inter se consentiunt interpretes. De proxime sequentibus: *ὅτι εἴδωλον τί ἐστι; ἢ ὅτι εἰδωλόθυτον τί ἐστιν;* lis et disputatio exorta est. SEMLERUS in *Apparatu ad interpr. N. T.* p. 49, 50 et in *Paraphr.* ad h. l. hoc de iis tulit judicium: „ Sunt „ tantum *Glossae*, quae in *variis regionibus varie* „ adscriptae, inde *duae textus* Graeci *recensiones* „ hic, ut in aliis multis locis, ortae: et *serius demum* in unam hanc seriem utraque *conjunctae*

 „ fue-

„ fuerunt." Quam opinionem recte improbarunt ROSENM. ad h. l. HERINGA l. c. p. 442, 443 et ERNESTIUS *Neueste Theol. Bibl.* Tom. I. p. 522, haud temere monens, sequentem Particulam ἀλλὰ postulare, ut verba illa retineantur. Deinde librarios, si sua in orationem Apostoli importarent, ei quoque adscripturos fuisse puto Adverbium οὐδαμῶς vel simile, quod tam in fine hujus versus, quam alibi reticeri, communi consensu notarunt interpretes. Cff. RAPHEL. et KRAUS. ad h. l. Hoc autem in Codd. A. B. C. ceterisque, qui cum hisce conspirent, factum non esse, WETSTENII et GRIESBACHII docent editiones. Et sane perpaucis tantum in libris desiderantur verba: ὅτι εἰδωλόθυτον τί ἐστιν; neque in pluribus deficiunt praecedentia: ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν; quare et BENGELIO, haec oratione expungenti, illa retinenti, assentiri non possumus. Fortasse quis opinetur, cum altera interrogatio: ὅτι εἴδωλον τί ἐστιν; in libris bonis et antiquis alteri: ὅτι εἰδωλόθυτον τί ἐστιν; postponatur, vel et ita corrigatur: Οὐχ ὅτι εἴδωλον ἐστι τί, eam ex Cap. VIII: 4 petitam nonnullisque mutatis huc translatam esse. At librarios, ingeniis eorum moribusque bene consideratis, credere malim, verba illa sede suâ expulisse, ne PAULUS repetens induceretur, quae jam supra dixisset. Sed admodum probabile est, fuisse etiam, quorum oculis ὁμοιοτέλευτα hanc facerent fraudem, ut alterutram interrogationem imprudentes praetermitterent. Trajectionem quod attinet, quis non videt, hanc ex

ex eodem profluxisse argumentationis PAULI emendandae studio, quod alios impelleret ad scribendum Οὐχ ὅτι κ. τ. λ.? Quae cum ita sint, neutiquam dubito, quin editio Vulgaris nobis Apostoli tradat scriptionem, quae sic nobis exponenda videtur: *Num in idolo quid veri, aut in sacrificio idolis facto quid boni esse?* Nimirum Graeci, quos scriptores N. T. sequuntur, Pronomen τὶς ita usurpare solent, ut, *quale* istud sit, de quo loquantur, oratio contexta definire debeat. *Ellipsis* igitur pro argumenti diversitate supplenda, et Pronomini nunc vox *recti*, vel *veri*, vel *firmi*, vel *boni*, nunc contraria quaedam, *mali* nempe, vel *falsi*, nunc alia cogitando addenda est. Quo de loquendi usu infra paulo plura dicentur.

Jam vero, Adverbio οὐδαμῶς vel simili, uti monuimus, omisso, Apostolus vers. 20, *quid velit*, enunciat. Sed quid scripsisse censendus est? Mirifica in libris antiquis scriptionis est varietas: si quidem haud pauci vocabula τὰ ἔθνη omittunt, proque singulari θύει plurale θύουσι substituunt. Antiquitatis autem et bonitatis nota, quâ horum librorum nonnulli insigniti sunt, testimonia eorum sine gravi causâ rejicere vetat. Nec, si a PAULO editum esset θύει τὰ ἔθνη et δαιμονίοις θύει, perspicere possumus, cur hoc mutatum sit. E contrario si scripsit θύουσι et δαιμονίοις θύουσι, causa in promtu est, cur alii orationi adjecerint τὰ ἔθνη, alii pro plurali θύουσι singulare θύει substituerint, multi hoc utrumque ediderint. Alterum enim factum est, ut El-

Ellipsin supplerent (*), alterum, ut orationem elegantiorem redderent. Itaque veram PAULI scriptionem, in libris variarum, ut ajunt, recensionum BDEFG cet. reperiundam, hanc esse censemus: 'Αλλ', ὅτι ἃ θύουσι, δαιμονίοις θύουσι. Quorum verborum sensus satis patebit, dummodo exploratum sit, quid auctor vocabulo δαιμονίοις significaverit.

Δαιμονίων appellatione *genios malos* dictos esse, multi existimarunt veterum Christianorum doctores, quos recenset KEIL. in *Opusc. Acad.* ed. a GOLDHORN. p.612, 613, calculum tamen suum huic interpretationi non adjiciens. Neque ab hac sententiâ discesserunt LUTHERUS, CALVINUS, BEZA, GROTIUS aliique viri praestantissimi. Haud paucis tamen visum est, huic vocabulo notionem *idolorum* i. e. *Deorum falsorum* tribuere, quod praeter alios defendere conati sunt KEUCHENIUS in *Annot. in omn. N.T. libros*, MOSHEM. in *Comm.* ad h. l. et L. BOS in *Exercit. Philol.* ad *Apoc. IX* : 20. Estque haec hodie interpretatio omnibus propemodum communis, etiam nostratibus VALCKENAERIO, VLOTENIO, KLINKENBERGIO, HAMELSVELDIO, GREVIO, BOSVELDIO ad h. l. Utramque sine dubio notionem vox δαιμόνιον habet in Hebraeorum scriptis. De *falsis* enim *Diis* ea dicitur *Apoc. IX:* 20 nec non *Deut. XXXII*:

(*) Paulo longius tamen petitum videtur, quod monet MILLIUS *Prolegom. Edit. N. T.* p. 46, istud τὰ ἔθνη *Scholion* esse, sumtum ex *Psalm. XCVI* : 5.

XXXII : 17 et haud multo aliter *Act. XVII* : 18. *Genios malos* in scriptis N. T. denotat paulo frequentius. Vide *Matth. VII*: 22. *Joann. VII :* 20. 1 *Tim. IV* : 1. *Jac. II*: 19 et alia loca, a Lexicographis allata. Quae *Psalm. XCVI :* 5 et *Baruch. IV*: 7 leguntur, incertae sunt interpretationis, quamquam sibi ea interpretes ab utrâque parte vindicare studuerunt. Aliunde igitur, quam ex loquendi usu, eruendum est, quaenam PAULI mens fuerit. Et primum quidem, si de *Diis exterarum gentium* loqui vellet, valde miror, illum hac usum esse voce, nusquam ab eo ita sumtâ; non vero voce εἴδωλον, quae et Cap. VIII: 4, 7. XII: 2 et versu hujus Cap. praecedenti de Diis istis reperitur. Contra si in ipsius mente erat genios pravos notare, aptius eam explicare non potuit, quam usurpandâ appellatione δαιμονίων, cui hanc notionem et ceteri scriptores N. T., et ipse tribuere solebant. Quod cum sectatores CHRISTI Corinthios, qui familiaritatem cum Judaeis contraxissent, ignorasse credibile non sit; cadit argumentatio BOSVELDII et aliorum, Graecos, quibus tritum et usitatum esset, Deos suos hoc nomine vocare, PAULI sententiam, si *genios malos* ita nuncupasset, non assecuturos fuisse. Alterum argumentum, quo veterem hujus vocis interpretationem tuear, oratio mihi praebet contexta. Cum enim modo dixerit Apostolus: *Hoc neutiquam significo, in idolo quid veri, aut in sacrificio idolis facto quid boni esse;* nonne, si nunc hisce adjicit: *sed quae immolentur, Diis immolari, qui non sint, non uni veroque Deo*, nonne,

ne, inquam, eosdem, quos modo esse negavit, nunc quasi vere sint, Deo opponit? Quam negligentiam orationi ejus non obtrudendam esse putamus. Praeterea dictio etiam: *Nolo vos quid commune habeatis cum Diis falsis*, non valde apta et idonea videtur ad homines ab epularum sacrarum celebratione absterrendos: sed gravi argumentatione PAULUS usus est, si alteram partem vers. 20 sic explicamus: *nolo vos quid commune habeatis cum Geniis falsis*. Quibus aeque ac verba, quae in priore ejus parte continentur, populariter sumtis, haec prodit sententia: *Tam foeda et detestanda sunt haec sacra, ut, non differat, utrum ea facias, an Geniis immoles malis. At vos nolo Geniorum istorum cultores sitis*. Huic autem conclusioni commode succedit vers. 21, in quo, si nostra stat interpretatio, eadem comparatio inter JESUM et *Diabolum*, utpote principes, alterum virtutis, alterum vitiositatis, instituitur, quae in scriptis N. T. frequentissima est.

---

1 *Cor. XI* : 10.

Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους.

Haud paucis fortasse, qui hunc locum emendandi vel explicandi causâ a me descriptum viderint, me similem esse putabunt eorum, qui temere se mari objectant turbido et procelloso, ubi homines rerum nauticarum scientissimi tristissimam omnium mercium ipsiusque vitae jacturam fecerunt. Verum nihil, quod paulo audacius sit, periclitari constitui. Nonnulli quidem viri docti suspicati sunt, totum hunc versum ab alienâ manu in PAULI orationem importatum esse. Sed nullam mihi cogitatione fingere possum causam, cur, si librarius quis pannum primâ fronte satis deformem orationi isti adjecit, omnes, quantum novimus, veteres in eo recipiendo consenserint. Ut autem non dubito, quin hic versus ab auctore hujus epistolae vere profectus sit; ita mihi persuasum est, quidquid ad corrigenda verba ἐξουσίαν et ἀγγέλους et alia plura tentaverunt interpretes (*), etiamsi nonnulla felicissimum prodant ingenium, omnino improbandum esse. Hisce vero improbatis, videamus, num alia nobis supersit via ex difficultatibus evadendi.

Duo maxime hoc in versu laborem pepererunt vi-

(*) Vide BOWEIJERUM et VALCKENAERIUM ad h. l. nec non VERSCHUIRII *Opusc.* p. 398 sqq.

viris doctis, quorum alterum cernitur in quaestione, quid voluerit PAULUS scribendo: ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Cui quam vario modo viri docti satisfacere conati sint, enarrare haud juvabit. Vide WOLF. et PALAIR. ad h. l. Plerisque placuit sententia, Apostolum mulieribus mandare, *ut caput velamine operientes se viris submissas esse significent*. Neque hi tamen de sensu illo ex verbis Graecis eruendo inter se conveniunt. Haud ita pridem nonnulli opinati sunt, vocem ἐξουσίαν tribuendam esse imperito interpreti, qui eâ vertendâ reddere voluerit vocem a PAULO usitatam שלטוניא (*): sed hanc opinionem, cum ea conjecturâ nitatur satis levi, archetypum hujus epistolae fuisse *Aramaeum*, in disceptationem vocare nihil attinet (**). Multo plures huic eidem voci Graecae ipsam *velaminis* notionem adscripserunt: quod recentiori memoriâ patrocinio suo tueri studuit MICHAËLIS: verum hoc etiam frustra agitur, donec in veteri aliquo scriptore exemplum reperiatur loci, in quo vocis ea sit notio. Longe probabilius est, quod existimarunt alii, vocem ἐξουσίαν dictam esse pro *potestatis signo:* quo igitur *velamen muliebre* denotaretur. Quae mens jam fortasse fuit THEODORETI, ubi dicit: Τὸ κάλυμμα ἐξουσίαν ἐκάλεσεν, et OECUMENII, verba PAULI sic interpretantis: Τουτέστι τὴν τοῦ ἀνδρὸς

(*) Ita BOLTENIUS, quem laudavit et secutus est BERTHOLDTUS l. c. Tom. VI. p. 3350, 3351.

(**) Cf. ZIEGLER *Theolog. Abbhandlungen* Tom. II. p. 62 sqq.

ὅρος ἐξουσίαν καὶ κυριότητα, ἥπερ ὑπόκειται, ὀφείλει ἔχειν καὶ ἐπιδείκνυσθαι ἐπ' αὐτῆς τῆς κεφαλῆς. Τοῦτο δὲ πῶς κατορθοῦται; διὰ τὸ κατακαλύπτεσθαι. Διὸ καὶ αὐτὸ τὸ κατακάλυμμα εἰκότως ἂν ἐξουσία κληθείη, ὡς τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίας καὶ κυριότητος ἐνδεικτικὸν ὕπαρχον καὶ παραστατικόν. Attamen, si cui haec opinioni modo rejectae magis favere videntur, non admodum repugnabo. Sed vocabulum ἐξουσίαν sine dubio de *potestatis signo* sumit THEOPHYLACTUS, scribens: ὀφείλει ἡ γυνὴ τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον, τουτέστι, τὸ κάλυμμα ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Cui postea calculum adjecerunt CALVINUS, MUSCULUS, STRIGELIUS, GROTIUS, et recentiori memoriâ ROSENMULLERUS, HAMELSVELDIUS, SCHOTTUS, aliique plurimi: ita ut haec interpretatio nunc fere pro vulgari habeatur. Et sane illa non tantum orationi contextae valde accommodata est, sed sequitur etiam loquendi usum. DEYLINGIUS quidem *Observat. Sacr. Part.* I. p. 339 ei post alios opposuit, *propriam vocum significationem citra urgentissimam causam non esse deserendam:* sed hoc, nisi fallor, levioris ponderis est. Quomodo enim quis, quaeso, hanc in regulam peccare censebitur, si vocabulo alicui, cujus vulgarem teneat notionem, *Metonymiam signati pro signo* inesse judicaverit? Hac autem in oratione esse, quod urgeat ad *Metonymiam* ei *aliam*ve *figuram* tribuendam, ipse se sensisse ostendit DEYLINGIUS, cum verbum ἔχειν explicaret *agnoscere, tenere* et *servare.* Similiter HOMBERGKIUS aliique, qui vocem ἐξουσίαν de *potestatis signo* accipere

re nolunt. Praeterea hanc interpretationem insigniter commendari putamus comparatione locorum, ubi eadem figura reperitur. Cujus numeri fortasse est, quod *Psalm. LXXIII : 6* poëta dixit: יַעֲטָף -- שִׁית חָמָס לָמוֹ, et interpr. *Alex.* vertendo reddidit: *περιεβάλοντο ἀδικίαν καὶ ἀσέβειαν αὐτῶν* i. e., si mentem ejus bene intelligo: *Insolentiam suam totâ vivendi ratione produnt.* Evidentius tamen est EZECHIELIS dictum Cap. VII: 27: נָשִׂיא יִלְבַּשׁ שְׁמָמָה, quod interpr. in sermonem Graecum sic transtulit: *ἄρχων ἐνδύσεται ἀφανισμὸν.* Loquitur hîc vates Divinus *de veste lugubri*, *vastationis signo*, quam sibi princeps civitatis induet. Sed prae ceteris legi, cumque hoc loco conferri meretur, quod MOSES *Num. VI : 7* de *Naziraeo* scripsit: נֵזֶר אֱלֹהָיו עַל -- רֹאשׁוֹ: ubi nemo negabit, voce נֵזֶר i. e. *voto* vel *consecratione*, ut habet interpr. vulg. *Latin.*, *voti* vel *consecrationis* denotari *signum* i. e. *caesariem liberam* (*). Hebraica interpr. *Graecus* sic vertendo reddidit: *εὐχὴ Θεοῦ αὐτοῦ ἐπ' αὐτῷ ἐπὶ κεφαλῆς αὐτοῦ.* Hoc vero nonne, verbis paululum mutatis, idem dicit atque: *εὐχὴν Θεοῦ αὐτοῦ ἔχει ἐπὶ κεφαλῆς αὐτοῦ*? Et haec sententia nonne Apostoli verba: *ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς* tam egregie illustrat, ut mens ejus non amplius latere possit (**)? Jam oratione praecedente in consilium ad-

(*) Cf. MICHAËLIS *Mosaisch Recht*. Tom. III. p. 25 sqq.

(**) Plura dabit GLASS. Tom. I. p. 868 sqq. Minus autem dictum JESU *Matth. V*: 31: *δότω αὐτῇ ἀποστάσιον*, ad quod provocarunt ROSENM. JASP. aliique, cum hoc loco convenit:

adhibitâ, haec verborum PAULI interpretatio haud parum confirmatur. Quo magis nempe de eo, quod inde a vers. 3 scripsisset, marem decere nudo, mulierem operto capite in rebus Divinis versari, lectoribus suis persuaderet, vers. 7 *tegumentum capitis a mare, utpote qui gloriosam Dei imaginem referret, alienum esse* dixit: de muliere vero contrarium dicere incipiens, a proposito suo avertitur. Itaque scriptâ admonitione, *cerni in eâ gloriam maris*, priusquam, quid hinc sequatur, ostendit, hac argumentatione verss. 8 et 9 utitur: *Non enim mas ex muliere, sed mulier ex mare provenit: etenim non formatus est mas mulieris causâ, sed maris causâ formata mulier est.* Respicit auctor, ut nemo non intelligit, ad MOSIS narrationem *Gen. II*: 19-22: Deum ex ADAMI costâ, cum ille conjugem sibi expeteret, EVAM condidisse. Jam vero, admonitione suâ his probatâ argumentis, vers. 10 tanquam in viam rediens conclusionem facit. Hanc autem conclusionem nonne eodem modo instituisse censendus est, atque alteram, ex verbis εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων petitam? Atqui si res se ita

nit: quamvis in eo etiam hujusmodi *Metonymia* reperitur. Cf. *Matth. XIX*: 7. Alius generis est, quod ex DIONYS. *Halic.* excitavit PALAIRET in *Observ. Phil-Crit.* ad h. l.: siquidem dictum: οὐδὲ ἐξουσίᾳ χρῆσθαι κατ' ἐκείνης οὐδεμίᾳ, salvo loquendi usu, aliter exponi nequit, quam: *nullâ in eam potestate uti.* Sed scite notavit LAUNAEUS, uti hoc loco *potestatis signum* ἐξουσία dicatur, sic pontificis Romani coronam vulgo dici *il Regno*, quoniam imaginem referat dominationis, quâ reges ille principesque terrarum sibi submittat.

ita habet; oratio hujus versus vix aut ne vix quidem aliam quam hanc continere potest sententiam: *Propterea oportet mulierem, cum mas ei praepositus sit, potestatis illius signum in capite operto habere.* Cf. omnino BOSVELD. ad h. l.

Sed nunc agitur altera quaestio, quid sibi velint verba sequentia *διὰ τοὺς ἀγγέλους*? Sana et incorrupta ea esse, quis tandem in plenissimo omnium librorum veterum consensu negare ausit? Nec difficultatem parit orationis structura, sed PAULI breviloquentia, interpretum ingenio amplissimum conjectandi locum relinquens. Dissentiunt igitur inter se, utrum vox *ἄγγελοι* de *hominibus* sumenda sit, an *de Geniis homine superioribus*. Qui illud alteri praeferunt, vel *viros* denotari putant *societati Christianae praefectos*, vel *exploratores*, vel *causarum patronos*, vel *legatos Ecclesiae*, vel alios qualescunque. Sed rectissime jam notavit LAUNAEUS, hoc vocabulum in scriptis N. T., ubi *sine definitione* usurpetur, constanter de *Geniis* dici *coelestibus*. Quâ annotatione etiam refelluntur, qui cum WETSTENIO et SEMLERO Apostolum de *Geniis malis* locutum esse opinantur. Utique si evolvimus loca, quorum auctoritate, et hujus interpretationis fautores, et ceterarum, quas memoravimus, sententiam suam fulcire conantur, nullum in iis esse reperimus, quin, vel ibi notio vocabuli *ἄγγελος* ad *homines Geniosve malos* expresse restringatur: uti *Matth. XI:* 10. *Luc. VII*: 24. *IX:* 52. *Jac. II:* 25. 2 *Pet. II*: 4. *Apoc. I:* 20; vel illud vocabulum, Articulo

culo carens, ad *Genios homine superiores*, quorum indoles ex oratione contextâ definienda sit, *generatim* pertineat, uti *Rom. VIII:* 38. 1 *Cor. VI:* 3. *Gal. IV:* 14. 1 *Tim. III:* 16. *Hebr. II:* 16. Quid? quod vox aliqua, quam loquendi usus certis tandem rebus vel personis propriam fecit, secundum leges sermoni humano positas, ad alias transferri prorsus nequit, nisi haec translatio adjunctis quibuslibet perspicue significatur. Itaque una probanda est eorum *sententia* interpretum, qui vocabula *οἱ ἄγγελοι*, et alibi, et hoc loco de *Geniis bonis* sumi jubent. At nunc denuo, quid Apostolus his laudandis voluerit, insignis disputandi praebetur copia. Cetera, quae monuere interpretes, sine dubio probabilitate longe superat, quod visum est GROTIO multisque viris doctis, verba *διὰ τοὺς ἀγγέλους* sic explicanda esse: *reverentiâ Geniorum coelestium, qui praesentes in coetu Christiano adsunt.* Etenim sectatores CHRISTI jam PAULI tempore sibi de *Angelorum* praesentiâ in concione sacrâ persuasum habuisse, quamquam istud certo effici nequit, verisimile tamen est. Sed ut dicam, quod sentio; qui hanc interpretationem probant, aeque ac plerique alii, orationis contextae immemores sunt. Et tamen ipse PAULUS rationem ejus habendam esse declarat vocibus *διὰ τοῦτο*, a quibus hunc versum incipit. Fortasse quis mihi cum HAABIO l. c. p. 321 aliisque ita occurrat, formulae *διὰ τοὺς ἀγγέλους* cogitando praefigendam esse Particulam *καὶ*, quam saepe scriptores omiserint festinantes animoque aestuantes. Et jam CHRYSOSTOMUM eodem

modo judicasse, ex his ejus apparet verbis: *Διὰ τοῦτο, ποῖον; εἰπέ μοι. Διὰ ταῦτά τὰ εἰρημένα ἅπαντά, Φησι, μᾶλλον δὲ οὐ διὰ ταῦτα μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ τοὺς ἀγγέλους. Εἰ γὰρ τοῦ ἀνδρὸς καταφρονεῖς, Φησι, τοὺς ἀγγέλους αἰδέσθητι.* At frustra exempla quaesivi locorum, ubi in oratione, quali hîc utitur auctor, Particula illa deficiat: ne dicam, scriptorem, qui a lectoribus suis non intelligi nollet, eam tali in oratione omittere non potuisse. Sed PAULUS PAULI tueatur causam, cum 2 *Tim. II*: 10 primum, *se malefici*, ajat, *hominis instar doctrinae Christianae causâ mala subire adeoque vincula ferre, hanc vero doctrinam nihilominus longe lateque propagari*; deinde hisce adjungat: *Διὰ τοῦτο πάντα ὑπομένω διὰ τοὺς ἐκλεκτούς.* Haec enim sic explicanda esse: *Propterea omnia tolero, nempe propter eos, quos Deo ad Christum perducere placet*, proxime docent sequentia: *ἵνα καὶ αὐτοὶ σωτηρίας τύχωσι τῆς ἐν Χριστῷ κ. τ. λ.* (*) Jam pari modo sententia: *Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ κ. τ. λ.* exponi debet: *Propterea, nempe propter Angelos, oportet mulierem* cet. Nunc vero multos me rogantes audio: quid necessitudinis *Genios inter coelestes*, et ea intercedit, quae Apostolus verss. 8, 9 disputat, EVAM *ex* ADAMO, *ejusque causâ formatam esse?* Cui interrogationi me, praeter ingenii conjecturam, nihil plane, quod

(*) De *Appositione*, in scriptis veterum frequentissimâ, quâ interpretationi Latinae vocabulum *nempe* adjiciendum sit, supra diximus pag. 53 sqq. Ceterum in verbis *ἀλλ' ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ οὐ δέδεται* conspicua est *Μείωσις*, cujus vim nobis declarasse videmur.

quod respondeam, habere, nemo, speraverim, hac in caligine aeque feret. Videlicet, cum a Judaeis ad Christianos translata opinio et fama esset, Genios coelestes olim formationis ADAMI et EVAE testes et spectatores fuisse, PAULUM huc respexisse puto et voluisse: *Itaque reverentia Geniorum, qui formationis hominum testes et spectatores fuerunt, mulieres ad caput velamine operiendum impellat.* Quâ ab interpretatione prope abfuisse vidi *Scholiasten* veterem apud MATTHAEUM, ad verba *διὰ τοὺς ἀγγέλους* adscribentem: *Μαρτυροῦντας καὶ αὐτοὺς, ἐξ ἀνδρὸς τὴν τῆς γενέσεως ἀρχὴν λαβεῖν τὴν γυναῖκα· οὓς καὶ πλέον αἰσχύνεσθαι προσήκει, ἅτε καὶ τῆς ὑποταγῆς αὐτῆς ἐπόπτας γεγενημένους*: ceterum me alibi hanc conjecturam legere, non memini. Opinionem autem modo memoratam valde antiquam esse, elucet ex iis, quae PAREUS et COCCEJUS attulerunt in *Comm.* ad *Gen. I*: 26, quo ex loco illa sine dubio originem cepit. Quare et *Targum* JONATHANIS verba Mosis sic interpretatur: ואמר ײ למלאכייא דמשמשין קומוי דאתבריו ביום תנין לבריית עלמא נעביד אדם i. e., ut habet interpr. Latin.: *Et dixit Dominus angelis ministrantibus coram ipso, qui creati sunt die secundo creationis mundi: Faciamus hominem.*

1 *Cor. XII* : 31.

Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα. Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.

Duabus sententiis hic versus constat, quarum priori interrogationem inesse putarunt THEODORETUS et PHOTIUS. Hoc autem BEZA sibi haud displiciturum monet, nisi omnes, quibus uteretur, libri distinctioni isti repugnarent. Sed ut oratio praecedens hujusmodi interrogationem aegre ac difficulter post se admittit; sic aliud suadent et Particula δὲ hîc reperiunda, et verba: *Ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ*, quae Cap. XIV: 1 leguntur. Cf. WOLF. in *Cur.* ad h. l. Plerisque igitur assentimur interpretibus, verbum *ζηλοῦτε* hoc loco in *Imperativo* positum esse. Nec refragamur ALBERTIO, in *Observ. Philol.* ad h. l. istud interpretari jubenti *sectamini*. Integra vero sententia: *Ζηλοῦτε δὲ τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα* quomodo intelligi debeat, disputari potest. Rectissime post alios notavit ERASMUS, PAULUM scripsisse *τὰ κρείττονα* i. e. *potiora* vel *quae magis conducunt ad utilitatem publicam*, non vero *τὰ μείζονα*, quae scriptio profecta est a correctoribus; sed ne sic quidem definitur, utrum generatim dicat auctor: *Sectamini utilissima quaelibet*; an, ad disputationem modo habitam respiciens, lectores adhortetur, ut, *inter dotes commemoratas electione factâ, utiliores prae minus utilibus sibi comparare studeant.* Utrique in-

interpretationi sui sunt fautores ac defensores. Verum, omnibus bene ac diligenter consideratis, haec mihi illi longe praeferenda videtur. Nam primum PAULUM, si alterum vellet, omisso Articulo, scripturum fuisse putaverim: *Ζηλοῦτε δὲ χαρίσματα κρείττονα.* Deinde cum Cap. XIV: 1 verbis: *Ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικὰ* i. e. *τὰ χαρίσματα τὰ πνευματικὰ* continuo adjiciat: *μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε*; luculenter ostendit, se *τῇ προφητείᾳ*, de quâ Cap. XII: 28, 29 loqueretur, inter *τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα* haud infimum locum statuisse. Praeterea lectis, quae in simili oratione *Rom. XII*: 6 — 8 de *τοῖς χαρίσμασι* traduntur, dubitare non possumus, quin inter ea, quae hoc etiam in Capite memorantur, unum alterumque reperiatur, quod magni fecerit Apostolus, neque igitur ab utilioribus distinxisse censendus sit. Si cui autem PAULUS, *τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα* laudans, caritatem maxime illam, cujus natura et indoles Cap. XIII exponitur, in mente habuisse videtur, quod WETSTENIO placuit aliisque; CHRYSOSTOMUM audiat posterius hujus versus membrum sic interpretantem: *Καὶ δείκνυμι ὁδὸν χαρισμάτων ὑμῖν. Οὐδὲ γὰρ εἶπε χάρισμα, ἀλλ' ὁδὸν, ἵνα μειζόνως ἐπάρῃ τοῦτο, ὃ μέλλει λέγειν· οὐδὲ γὰρ ἓν, καὶ δύο, καὶ τρία χαρίσματα δείκνυμι ὑμῖν, ἀλλ' ὁδὸν μίαν τὴν ἐπὶ πάντα ταῦτα φέρουσαν — — — τὴν ἀγάπην λέγων τὴν πρὸς τὸν πλησίον.* Nimirum variarum dotum recensioni Apostolus, si mentem ejus bene intelligo, admonitionem subjungit, ad eas potissimum adspirandum esse, quae utiliores ceteris sint. Hoc vero ut

lectoribus suis felicius succedat, se *viam*, quae huc conducat, illis monstraturum dicit. Jam fidem liberat Cap. XIII, caritatem mutuam praedicans. Absoluto autem proposito suo, Cap. XIV: 1 transgreditur ad ostendendum, quaenam dotes ceteris praeferri mereantur.

Posteriorem jam attigimus hujus versus sententiam: sed pars ejus nobis adhuc illustranda restat. Verba nimirum: Καὶ ἔτι καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι nonnullis viris doctis tam inepta visa sunt, ut correctione indigerent. Vide BOWEYERUM ad h. l. et VERSCHUIRII *Opusc.* p. 401. Sed ut conjecturae eorum se haud valde probabilitatis nomine commendant; sic mutatio scriptionis ad sensus bonitatem non omnino requiritur. Neque CALVINO, hanc sententiam a Cap. XIII ad Cap. XIV transferre jubenti, morem gerere opus est, dummodo ea *Puncti* notâ distinguatur a superiori. Difficultas hujus loci maxime resîdet in formulâ καθ' ὑπερβολὴν, quam interpretes tantum non omnes, ac si vices sustineat nominis Adjectivi, cum sequenti voce ὁδὸν conjungunt: atque ita jam CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS, LUTHERUS, CALVINUS, et viri horum similes. Paucissimi, quorum sententiam improbavit WOLF. ad h. l., formulam pro Adverbio sumunt, et ad verbum δείκνυμι referunt. In quibus tamen unus est, nemine inferior, GROTIUS, cujus verba, ut ex aliâ comperi *Commentarii* ejus editione, in *Bibliis Criticis* sic excudi debuissent: „ *Viam vo-*

„ *bis*

„ *bis ostendam*, *quâ nosse possitis*, *quae sint uti-*
„ *lissima: quamquam id forte opus non est*, *quia*
„ *ipsa experientia id vos docet*. Ideo dixit καθ' ὑπερ-
„ βολὴν, i. e. ut Jurisconsulti loquuntur, *ex supera-*
„ *bundanti*, יותר, ut Rabbini." Ita GROTIUS, quem ducem suum hoc loco deseruit ROSENMULLERUS. Et SEMLERUS adeo haec scripsit:
„ Καθ' ὑπερβολὴν ad ὁδὸν multi referunt, viam opti-
„ mam, tutissimam, maxime *vialem*, ut BEN-
„ GELIUS: potest etiam ad verbum pertinere,
„ *accuratissime* monstrabo." Immo vero, pace viri egregii, huc non referri *potest*, sed, nisi mente fallor, omnino *debet*. Nullum sive in sacrorum, sive in exterorum scriptorum libris reperi locum, ubi haec formula aliter quam pro Adverbio usurpatur. Sed cetera mittentes, audiamus PAULUM, cujus epistolis exceptis ea nusquam in N. T. occurrit. Vocabula igitur καθ' ὑπερβολὴν utrum 2 *Cor. I*: 8 et *Gal. I*: 13 nominis Adjectivi, an Adverbii vim habeant, dubitabit plane nemo, cum hîc verbo ἐδίωκον, illic Verbo ἐβαρήθημεν praeposita sint. Similiter, quod legimus 2 *Cor. IV*: 17: Καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν copulandum est cum Verbo κατεργάζεται: nam quominus cum nomine βάρος copuletur, obstat interjectum iis Adjectivum αἰώνιον. Oratione paululum mutatâ, dicit Apostolus: Ἡ γὰρ θλίψις ἡμῶν, ἡ παραυτίκα οὖσα καὶ ἐλαφρὰ, δόξην αἰώνιον καὶ βαρεῖαν καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν κατεργάζεται ἡμῖν. i. e. *Afflictio enim nostra*, *hujus vitae tantum finibus inclusa et levis*, *gloriam nobis aeternam et gravem modo plane eximio parat*. Cff.

DRUS. et GROT. Restat locus paulo magis ambiguus *Rom. VII*: 13, ad quem alterius sententiae patroni provocarunt. Sed auctore KOPPIO monere sufficiet, si formula καθ' ὑπερβολὴν cum voce sequenti ἁμαρτωλὸς conjungi debeat, eam vel sic tamen, quasi scripserit Apostolus ὑπερβαλλόντως, pro Adverbio sumendam esse. Nimirum et hic, et in libris scriptorum exterorum, ubi ea ad *Nomen* aliquod definiendum usurpatur; hoc nomen non *Substantivum* est, sed *Adjectivum*, quocum Adverbium conjungi solet. Vide loca laudata a WETSTENIO. At cur hac disputatione diutius occupabimur? Omnia recensuimus loca, ubi PAULUS vocabulis καθ' ὑπερβολὴν utitur. Nonne igitur ratio sic concludenda est, si loquendi usum sequi velimus, vocabulis illis hoc in loco notionem non tribuendam esse Adjectivi, sed Adverbii, quod cum verbo δείκνυμι copuletur? Quae si bene se habet conclusio, posterius hujus versus membrum sic exponatur: *Et vobis egregio insuper modo viam monstrabo.*

---

1 *Cor. XIV* : 10.

Τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν ἐστιν ἐν κόσμῳ, καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον.

Quam lubricum saepe sit, in judicando, quaenam verba a scriptore aliquo antiquo profecta, quaenam ei a recentiori manu falso affìcta sint, auctoritatem librorum MSS. sequi, ut nemo ignorat harum rerum prudens existimator, sic ex hoc loco luculenter apparet. In praestantissimis enim libris, quos GRIESBACHIUS, HUGIUS aliique viri docti ad diversas classes vel *Recensiones* referunt, Pronomen *αὐτῶν* non reperitur: sed nullo modo dubitandum est, quin librariis fraudem fecerit corrigendae orationis cupiditas, quippe qui putarent, hunc versum nec penes leges Grammaticorum stare, neque intelligi posse, nisi Pronomen illud deleretur. Atqui eâdem opinione sibi imponi passi sunt interpretes veteres haud pauci, et recentiori memoriâ BEZA, quem praeter alios nuper secutus esse videtur GREVIUS. Aliter MUSCULUS hunc locum emendare voluit, pro voce nempe *ἄφωνον* duabus hisce *ἄφρον ὂν* substituendis: verum ipse hujus conjecturae levitatem animadvertens, scriptionem ei vulgarem praetulit. Quam et rectissime cum aliis retinuit GRIESBACHIUS.

Sed vindicatâ auctori scriptione suâ, longius ac molestius nos manet opus, quod in sententiae ejus ex-

explicatione cernitur. Duo nimirum in oratione Graecâ sunt, quibus offendantur viri docti: usus *neutrius generis*, ubi mos dicendi *genus femininum* requirit, et mirifica, quam hic versus continere videtur, admonitio, *vocem hoc in mundo voce non carere.* Quae impedimenta quam variis artificiis jam ab antiquo interpretes amovere conati sint, breviter enarrare lubet. Nonnulli quidem Apostoli mentem satis bene assecuti sunt, uti THEOPHYLACTUS, qui, in viâ a CHRYSOSTOMO monstratâ progressus, verba ejus sic exposuit: *Τοσαῦται φωναὶ ἔτυχον εἶναι ἐν τῷ κόσμῳ, Σκυθῶν, Ἰνδῶν, Θρακῶν, καὶ ἄλλων ἐθνῶν, καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ λέγουσί τι· οὐδὲ γάρ εἰσιν ἄφωνοι*: sed quaestioni, quomodo sententia hujusmodi ex oratione Graecâ erueretur, satisfacere neglexerunt. Alii, cum CALVINO sumentes, auctorem de *sonis* generatim, non de *linguis* locutum esse, uti difficultates supra propositas non sustulerunt, ita sine dubio vocabulum *φωνὴ* male interpretati sunt. Quamquam enim LAUNAEO concedimus, PAULUM vers. 7 et 8 vocabulo illo *sonum* denotasse; hoc tamen versu ei notionem *linguae* tribuendam esse, evidenter docent proxime sequentia: *Ἐὰν οὖν μὴ εἰδῶ τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς, ἔσομαι τῷ λαλοῦντι βάρβαρος· καὶ ὁ λαλῶν ἐν ἐμοὶ βάρβαρος*: ubi, qui utuntur *ταῖς φωναῖς*, et *loqui*, et *aliis barbari esse* dicuntur, quod *hominum* tantum est. Loquendi autem usum ab Apostolo observatum esse, cum *φωνὴν* de *linguâ* diceret, exemplorum copiâ ostenderunt L. BOS. PALAIR. et RAPHEL. ad h. l. Si quis causam rogat, cur nunc hanc

hanc vocem usurpare, quam vocem γλῶσσα ex verss. 2 seqq. repetere maluerit; respondendum ei putamus, consulto hoc fecisse auctorem, quoniam ad linguas tam inconditas, quam conditas respiceret: quae forte sententia jam fuit ERASMI. Sed, ut in viam redeamus, L. VALLA, commemoratâ aliorum interpretatione, haec adscripsit: „Ego transferrem, *et nullum absonum est*, sive *absurdum:* „quod videlicet omnis vox habet locum suum et „*suam gratiam:*" Quod an paucis placuerit, nescio; hoc scio, si vel probari possit, Adjectivum ἄφωνον hanc notionem secundum dicendi morem ferre, ne sic quidem explicari nodos, quibus hic locus impediatur. Nec bene se habet, quod huc jam attulit OECUMENIUS, cujus haec verba sunt: Τὸ, τοσαῦτα γένη φωνῶν καὶ ἑξῆς, διχῶς ἐστὶν ἐκλαβεῖν· ἢ ὅτι πολλά ἐστι γένη φωνῶν, καὶ τούτων τῶν γενῶν οὐδέν ἐστιν ἄφωνον· ἢ πολλά ἐστι γένη φωνῶν, ἀλλ᾽ οὐδεμία τοῖς ὁμογενέσιν αὐτῶν ἐστιν ἄσημος καὶ ἀνεπίγνωστος. Sic enim corrigendus est error *Typothetarum*, qui verba ἐκλαβεῖν· ἢ ὅτι πολλά ἐστι γένη φωνῶν a praecedentibus διχῶς ἐστὶν sejunxerunt, et sequentibus hisce καὶ τούτων τῶν γενῶν οὐδέν ἐστιν ἄφωνον postposuerunt. Ab OECUMENIO autem haud longe discessisse videtur SCHOLIAST. apud MATTHAEUM, vocem ἄφωνον interpretans ἀσήμαντον, ἀδιάγνωστον, ἀνάρμοστον: et similiter LUTHERUS aliique multi. Ante GROTIUM sane nemo rectam ingressus viam est caliginis, in quâ haec oratio latebat, discutiendae. Audiamus verba viri immortalis: „Hîc αὐτῶν non refertur ad φωνὰς, sed ad „i-

„ ipsos *homines*, quamquam ii nominati non sunt, „ sed facile ex praecedentibus intelliguntur. Parem „ usum nominis *αὐτῶν* et alibi notavimus (*).” Cum GROTIO consensit HEINSIUS, vel potius, quod ille inchoaverat, perfecit hic scribendo: „Si eodem modo, quo caeteri autores Graeci, „ scripsisset Apostolus, relativum *πρὸς τὸ διανοού-* „ *μενον* referendum dicerem, quod est *ἄνθρωποι.* „ Usitatum vero insuper, nec raro, Hebraeis, ut „ sine antecedente ponatur relatum, ut *Num. VII*: „ 89: *Ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι Μωϋσῆν ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ* „ *μαρτυρίου λαλῆσαι αὐτῷ*, *cum Deo* nempe, de „ quo nihil proxime praecessit. *Esther. V*: 9 *nec* „ *se movisset ab eo*, et intelligit *τοῦ τόπου.* Ita *καὶ* „ *οὐδὲν αὐτῶν* hoc est *οὐδὲν γένος ἀνθρώπων.*” GROTII, HEINSIIQUE vestigiis institerunt BOSVELDIUS aliique interpretes, sed perpauci. Plerisque accidisse reperimus hoc loco, quod viris doctis frequenter accidit, ut, lucem allatam quasi fugientes, in tenebras se abderent. ROSENMULLERUS igitur verba Graeca sic vertendo reddidit: *Tot nempe genera linguarum sunt in mundo, et nullum horum significatione caret.* KRAUSIUS da-

(*) Fortasse haec scribens in mente habuit annotata ad *Matth. XI*: 1 et *Luc. V*: 17, ubi plura hujus locutionis attulit exempla. Quod autem verbis supra descriptis GROTIUS addidit: „Hic nomen „ ex superioribus subauditur, *Num. VIII*: 9. *Esth. V*: 9, sed in „ MS. deest *αὐτῶν*, ut neutrum sit pro plurali masculino,” bene se habet, si haec viri summi mens est, nomen, quod huic loco cogitando adjiciendum sit, ex voce aliquâ affini orationis praecedentis eruendum esse. Cff. quae dicentur infra.

dubitat, utrum verbis *γένη φωνῶν linguarum*, an *sonorum genera* denotentur, sed vocem *ἄφωνον* similiter ac ROSENM. explicat. SCHLEUSNERUS, eodem tramite procedens, a PAULO hoc vocabulum modo plane singulari usurpari monet. Atque ita istud interpretantur SEMLERUS, HAMELSVELDIUS, KLINKENBERGIUS, SCHOTTUS, JASPIS, WAHLIUS, multi alii. Novimus quidem, vocem Graecam *ἄφωνος* et Latinam *mutus* saepe ad *res* transferri *se extrinsecus non prodentes et latentes* (*); sed nusquam tamen, quantum novimus, de *sermone* dicuntur, *cui sua deest significatio*. Et scriptores N. T. *ἄφωνον* tantum appellant, quod vel *sine voce* est, vel *sine ejus usu*. Vide *Act. VIII* : 32. 1 *Cor. XII* : 2. 2 *Pet. II* : 16. Unde quis non intelligit, quantum licentiae in se habeat interpretatio modo proposita? Praeterea, si vellet PAULUS, quod ei affingitur, probabiliter scripsisset *οὐδεμία αὐτῶν ἄφωνος*, vel repetiisset potius vocabulum *ἄδηλος*, quod vers. 8 cum voce *φωνὴ* copulatur. Cf. BEZA ad h. l.

Ita-

(*) Obiter emendemus orationem M. CORN. FRONTONIS in *Reliquiis*, *ed. a* B. G. NIEBUHRIO p. 142, ubi haec leguntur: „ Junonem plerosque partus nocturnos ciere: Minervam „ artium atque artificum magistram multum vigilari velle: Mar„ tem nocturnas eruptiones et insidias mutare juvare." Verbum *mutare* hujus loci non esse, bene vidit HEINDORFIUS, sed minus bene pro *mutare juvare* substituendum conjecit *tutari et juvare*. Non dubito, quin corrigendum sit *mutas juvare* i. e. *latentes*. Sic apud VAL. FLACC. I. 64 *taciti doli*, ut me monuit collega conjunctissimus D. J. VAN LENNEP.

Itaque redeundum in viam est a GROTIO et HEINSIO monstratam, cumque iis sic existimandum, PAULUM scripsisse *αὐτῶν*, quoniam *homines* in mente haberet, non *voces* vel *sermones*. Si quis rogat, quomodo auctor *homines* in mente habere potuerit; provocare nolumus ad verss. 2, 3, ubi *ἄνθρωποι* memorantur. Plura enim inter hanc commemorationem *hominum*, et locum, in quo explicando versamur, interjacent, quam ut nunc eo respexisse censendus sit. Haud tam longe quaerenda, nisi fallimur, est causa aberrationis ab exactâ loquendi normâ. Putamus igitur, Apostolum, cum vocabulo *φωνῶν* uteretur, minus cogitasse de *sermonibus*, sed animo ejus, per notionem affinitatem, obversatos esse, *qui sermone gauderent*, videlicet *τὰ ἔθνη*, eumque idcirco, cum orationem persequeretur, pro verbis: *Καὶ οὐδὲν ἔθνος ἄφωνον* posuisse: *Καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον*. Quod judicium si recte se habet, oratio ejus hoc modo explicanda est: *Tot, exempli causâ*, (*) *in mundo populorum genera sunt, qui sermone utuntur, et nullus populus sine sermone est.* Atque ita in priori hujus versus membro PAULUS sermones esse monet multiplices, in posteriori sine sermone nullum esse populum. Quod utrumque, cum a minori ad majus procedat auctor, bene inter se cohaeret. Sed ne rem inchoatam adeoque incertam relinquamus, hac occasione utamur de peculiari loquen-

(*) Verba *εἰ τύχοι* exponenda esse *exempli causâ*, nunc sumo, auctoritate nitens plurimorum interpretum. Vide loca a WETSTEN. aliisque allata. Sed ab interpretatione formulae *εἰ τύχοι* non pendent, quae hoc de loco disputamus.

quendi genere, quod orationi ejus inesse volumus, paulo copiosius disputandi.

Multa in veterum Graecorum scriptis se offerunt loca, ubi Pronomen αὐτὸς ad *homines* respicit, quorum nomen in superioribus non expressum, sed ex *urbis*, *regionis*, *exercitus*, *classis*, similive appellatione eruendum est. HOMER. *Odyss.* B. v. 154:

— — — ἤϊξαν διά τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν.

Quibus verbis aquilae supervolasse dicuntur *aedes et urbem hominum*, *in aedibus habitantium*, quos in mente habuit Poëta scribens οἰκία. APOLLON. *Rhod. Argon.* Lib. I. v. 703 sqq:

Ὄρσο μοι, Ἰφινόη, τοῦδε ἀνέρος ἀντιόωσα
Ἡμέτερόνδε μολεῖν, ὅστις στόλου ἡγεμονεύει,
Ὄφρα τί οἱ δήμοιο ἔπος θυμῆρες ἐνίσπω·
Καὶ δ' αὐτοὺς γαίης τε καὶ ἄστεος, αἴ κ' ἐθέλωσι,
Κέκλεο θαρσαλέως ἐπιβαινέμεν εὐμενέοντας.

Pronomen igitur αὐτοὺς referri debet ad *nautas*, implicite denotatos voce στόλου. THUCYDID. Lib. I. cap. 136: Ὁ δὲ Θεμιστοκλῆς προαισθόμενος φεύγει ἐκ Πελοποννήσου ἐς Κέρκυραν, ὢν αὐτῶν i. e. *incolarum Corcyrae* εὐεργέτης. HERODIAN. Lib. VII. cap. 8: Οὐ πρότερον παύσομαι, πρὶν ἢ ἕλω τε καὶ πυρώσω τὰς Ἀθήνας, οἵ γε ἐμὲ καὶ πατέρα τὸν ἐμὸν ὑπῆρξαν ἄδικα ποιεῦντες. Scilicet in vocibus τὰς Ἀθήνας latent οἱ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. LUCIAN. *Timon.* cap. 9: Πολὺν ἤδη χρόνον οὐδ' ἀπέβλεψα εἰς τὴν Ἀττικήν· καὶ μάλιστα ἐξ οὗ φιλοσοφία καὶ λόγων ἔριδες ἐπεπόλασαν αὐτοῖς i. e. *incolis Atticae* seu potius *Atheniensibus*. Ad hanc lo-

locorum classem etiam pertinet EUSEB. *Hist. Eccles.* Lib. III. cap. 1, quamquam ibi non legitur Pronomen, sed Articulus postpositivus. Dicit autem: Ἰωάννης εἴληχε τὴν Ἀσίαν· πρὸς οὓς καὶ διατρίψας ἐν Ἐφέσῳ τελευτᾷ. Quisque videt, eum οὓς pro ἣν scripsisse, quoniam verbis praecedentibus τὴν Ἀσίαν *Asiae* etiam comprehenderet *incolas*. Scripta si inspicimus Judaeorum, ingens quoque hujusmodi locorum copia nobis occurrit. Ex libris tamen *Apocryphis* V. T., brevitatis causâ, unum tantum excitare volumus locum depravatum, nempe 1 *Macc. I*: 44 — 47: Καὶ ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς βιβλία ἐν χειρὶ ἀγγέλων εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ τὰς πόλεις Ἰούδα, πορευθῆναι ὀπίσω νομίμων ἀλλοτρίων τῆς γῆς, Καὶ κωλῦσαι ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίαν καὶ σπονδὴν ἐκ τοῦ ἁγιάσματος, καὶ βεβηλῶσαι σάββατα καὶ ἑορτὰς, Καὶ μιᾶναι ἁγίασμα καὶ ἁγίους, Οἰκοδομῆσαι βωμοὺς, καὶ τεμένη, καὶ εἰδώλεῖα, καὶ θύειν ὕεια, καὶ κτήνη κοινά. Sic etiam in suâ librorum *Apocryphorum* editione habet AUGUSTUS. Sed verba ἁγίασμα καὶ ἁγίους stare non posse, MICHAËLIS aliique interpretes viderunt. Nobis autem scribendum videtur ἁγίασμα καὶ αὐτοὺς, ita ut hanc faciamus orationis structuram: Καὶ μιᾶναι ἁγίασμα, καὶ αὐτοὺς οἰκοδομῆσαι κ. τ. λ. Quam conjecturam commendat, et mutationis lenitas, et comparatio enunciationum praecedentium, quae a Conjunctione καὶ incipiunt, et ipsius rei, de quâ decretum regis loquitur, natura et indoles. Sed causam nostram agat JOSEPH. *Antiq.* Lib. XII. cap. 5, eandem rem sic narrans: Ἠνάγκασε δ' αὐτοὺς, ἀφεμένους τῆς περὶ τὸν αὐτῶν Θεὸν θρησκείας, τοὺς

τοὺς ὑπ' αὐτοῦ νομιζομένους σέβεσθαι· οἰκοδομήσαντας δὲ ἐν ἑκάστῃ πόλει καὶ κώμῃ τεμένη αὐτῶν καὶ βωμοὺς καθιδρύσαντας, θύειν ἐπ' αὐτοῖς σῦς καθ' ἡμέραν κ.τ.λ.: ubi Judaei mandatum accepisse dicuntur, ut, spretâ et repudiatâ avitâ religione, *ipsi* fana struerent, Diisque exteris sacra facerent. Breviter eadem narrantur Lib. I. *de Bell. Jud.* cap. 1 (*). Jam vero, si conjectura nostra, uti speramus, probari meretur, Pronomen αὐτοὺς respicit ad *incolas Judaeae et Hierosolymorum*, ex verbis Ἱερουσαλὴμ καὶ τὰς πόλεις Ἰούδα vers. 44 intelligendos. Similiter hoc Pronomen usurpatur 1 *Macc. VI*: 5, 6. *VIII*: 24. Progrediamur ad scripta N. T., in quibus frequentem hunc usum Pronominis αὐτῶν esse, alibi jam monuimus (**). Locis autem ibi laudatis multa adjungi possunt. Vide *Act. VIII*: 5. *XX*: 2. 1 *Cor. XVI*: 15. 2 *Cor. II*: 12, 13. *V*: 19, et plura, quae

GROT.,

(*) Hic tamen minus bene se habet orationis, et scriptio, et distinctio, et interpretatio. Sic enim verba, uti putamus, constituenda sunt: Ἠνάγκαζεν Ἰουδαίους, καταλύσαντας τὰ πάτρια, βρέφη τε αὐτῶν φυλάττειν ἀπερίτμητα, καὶ σῦς ἐπιθύειν τῷ βωμῷ· πρὸς ἃ πάντες μὲν ἀπείθουν οἱ δοκιμώτατοι, ἐσφάττοντο δέ; quorum postrema exponimus: *Quibus cum obniterentur optimi quique, trucidati sunt.* Hanc autem correctionem omnino postulare videtur ejusdem rei narratio in *Antiq.* l. c. Sed hunc etiam in locum, nisi fallimur, mendum librariorum irrepsit. Quod enim ad finem § 4 scriptum exstat: Καὶ οὗτοι κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο, auctoris menti repugnat, nisi cum HUDSONO perperam interpretamur: *Et ipsi tanquam mali male peribant.* At omnia sana sunt, si pro eo levi mutatione hoc substituimus: Καὶ οὗτοι κἀκεῖ κακῶς ἀπώλοντο.

(**) *Verhandd. van* TEYLERS *Godgel. Gen.* Tom. XXVII. p. 18.

GROT., KUIN. aliique passim in *Comm.* suis excitarunt. Neque hinc longe distant verba *Rom. VI*:21: Τίνα οὖν καρπὸν εἴχετε τότε; ἐφ' οἷς νῦν ἐπαισχύνεσθε, quae mirifice fatigarunt interpretes. Sed hac oratione utens PAULUS, non ad formam respexit vocis καρπὸν, in singulari numero positae, sed ad notionis amplitudinem, quam vox illa continebat: videlicet ad deplorandam *fructuum* copiam et ubertatem, quam Romanis olim vita pepererat inhonesta. Quam ob rem hunc locum ita interpretamur: *Quem igitur proventum malitiae vestrae tunc habuistis? Cujus vos nunc pudet.* Et similis permutatio numeri singularis et pluralis reperitur 1 *Tim. II:* 15.

Paulo difficiliora sunt illa loca, ubi nomen eorum, ad quos Pronomen αὐτὸς respicit, vel ex voce erui debet praecedente, cui nulla *singularis collectivi* vis inest, vel ex uno orationis contextae argumento. Inter rariora hujus loquendi usus exempla, quae in exterorum scriptorum libris cernuntur, fortasse numerandum est, quod exstat apud XENOPHONT. *Ephes.* Lib. III. cap. 5: Ὡς οὖν πάντα τὰ περὶ τὸν γάμον ἐκτετέλεστο τῷ Περιλάῳ, ἐφειστήκει δὲ ἡ ἡμέρα, δεῖπνον μὲν αὐτοῖς πολυτελὲς ἡτοίμαστο. Haec enim verba intelligere nequeo, nisi Pronomine αὐτοῖς *amici* denotantur PERILAI *ad coenam nuptialem invitati*, quos haec scribens auctor in mente habuerit. Sed in hac negligentiâ sermonis multo crebrius lapsi sunt Judaei, quos vocant *Hellenistas. Sirach. XXXII:* 20: Ὡραῖον ἔλεος ἐν καιρῷ

καιρῷ θλίψεως αὐτοῦ i. e. θλίψεως τοῦ ἐλεοῦντος, quod Participium ex voce ἔλεος intelligitur: ita ut orationis sensus sit: *Grata memoria misericordiae eo tempore est, quo calamitate affligitur misericors.* Cap. XXXIV: 3: Ἐκοπίασε πλούσιος ἐν συναγωγῇ χρημάτων, καὶ ἐν τῇ ἀναπαύσει ἐμπίπλαται τῶν τρυφημάτων αὐτοῦ i. e. *Sudat dives in congregandis opibus, et in somno fruitur earum deliciis:* unde apparet, Pronomen αὐτοῦ referendum esse ad vocem πλούτου, ex voce affini πλούσιος eruendam. *Hist. Bel. et Drac.* vers. 9, ubi legimus: Ἐὰν δὲ δείξητε, ὅτι Βὴλ κατεσθίει αὐτὰ, ὁ Δανιὴλ ἀποθανεῖται. Pronomen αὐτὰ respicit ad τὰ δαπανηθέντα, quae auctor in mente habuit, cum vers. 8 scribebat: Ἐὰν μὴ εἴπητέ μοι, τίς ὁ κατεσθίων τὴν δαπάνην ταύτην, ἀποθανεῖσθε. *Matth. X:* 18 dicit JESUS: Καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν: sed sententiam ejus minus assequimur, nisi Pronomen αὐτοῖς referimus ad verbum praecedens ἀχθήσεσθε, quod brevitatis vel varietatis causâ usurpatum est pro ἄξονται ὑμᾶς, scil. ἄνθρωποι vel *Judaei. Luc. II:* 22 vehementer laborarunt interpretes (*) in verbis: ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν: at omnis difficultas tollitur, si statuimus, LUCAM, quoniam animo ejus obversarentur *Judaei*, scripsisse αὐτῶν, eique hanc mentem tribuimus: *cum ex Judaeorum lege dies advene-*

(*) Vide praeter alios CASAUB. *ad* BARON. *Exercit.* II. p. 140 et EICHHORN. *Einleitung* cet. Tom. I. p. 651, et cf. Disput. nostra modo excit.

nerat lustrationis. Similiter *Luc. XXIII :* 51 illustrantur verba : Οὗτος οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν; si istud αὐτῶν explicamus ex vers. 50: ubi, quae hic leguntur, βουλευτὴς ὑπάρχων, valent pro εἷς τῶν βουλευτῶν ὑπάρχων: unde sequitur, cadere sententiam nonnullorum interpretum, JOSEPHUM non adscriptum fuisse summo Judaeorum senatui, sed pro senatore vel urbis Arimathaeae, vel Hierosolymorum habendum esse. Sic et nihil certius est, quam PAULUM sibi *hominem* proposuisse, praeputio a Judaeis distinctum, cum scriberet *Rom. II* : 26 : Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ: continet enim hujus sententiae *Apodosis :* οὐχὶ ἡ ἀκροβυστία αὐτοῦ εἰς περιτομὴν λογισθήσεται.

De hoc loquendi usu, in cujus expositione virorum doctorum diligentia nobis minus satisfecerat (*), paulo longiores fuimus, tum ut, hac datâ opportunitate, locis aliquot scriptorum, tam ex-

(*) GLASS. l. c. Tom. I. p. 158 sqq. HAAB. l. c. p. 270 sqq. et WINER l. c. p. 48 quidem hoc dicendi genus exemplorum copiâ ilustrare conati sunt; sed et multa attulere loca huc minus pertinentia, et hanc sermonis proprietatem ab aliis non satis accurate distinxere. VIGERUS l. c. p. 168 admonitioni suae de hoc vel simili Pronominis usu unum tantum exemplum ex SYNESIO adjecit. Alii hanc rem prorsus praeterierunt silentio. MATTHIAM tamen vidi l. c. p. 600 sqq. non solum notasse loca, quae *pluralem* continent *collectivum*, sed etiam, quae haec PAULI verba illustrant. Ceterum conferri merentur praeter alios STORR. *Opusc.* Vol. III. p. 41, 337. SCHOTT. *Opusc.* Tom. I. p. 302 et HEMSTERH. *ad* LUCIAN. Tom. I. p. 37.

exterorum, quam sacrorum, nonnihil lucis afferremus, tum ut a nostrâ hujus loci interpretatione omnem suspicionem amoveremus. Lectores eruditi, quibus nostrâ sedulitate non opus est, haec ingeniis relinquant a librorum veterum lectione minus instructis. Ex allatâ autem exemplorum copiâ non solum apparet, PAULUM hic Pronomen *αὐτῶν* ad Nomen referre potuisse, quod alio in Nomine lateret; sed etiam nihil alieni obtrudi Apostolo, si contendimus, eum, *οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον* scribentem, genere *neutro* hac de causâ pro *feminino* usum esse. Ne vero quis miretur sententiam nostram, in voce *φωνῶν* latere vocem *ἐθνῶν*; adeantur loca, ubi *φωνὴ*, *γλῶσσα* et hujusmodi vocabula plura per *Metonymiam* pro *sermonis auctore* i. e., *homine* vel *populo* usurpantur, adeoque voce *ἔθνος* similive iis adjunctâ explicantur: uti *Jes. XLV*: 24. *LIV*: 17. *Dan. III*: 4. *Judith. III*: 8. *Phil. II*: 11. *Apoc. I*: 12. *V*: 9. Et quid rei naturae convenientius est, quam, qui de *diversis* loquatur *linguis* vel *sermonibus*, sibi etiam *gentes* repraesentare, quae sermonibus illis utantur? Apposite ad hunc locum JUSTIN. *Mart. Dial. cum Tryph. Jud.* p. 359 E: Ἐξ *ὧν καὶ νοῆσαι δύνασθε, ὅτι ἄνωθεν μὲν πάντας τοὺς ἀνθρώπους ὁ Θεὸς διεσκόρπισε κατὰ γένη* (sic enim legendum mihi videtur pro *καὶ τὰ γένη*) *καὶ γλώσσας*. Ceterum hanc interpretationem orationi contextae accommodatissimam esse, nemo unus, uti putamus, inficiabitur.

---

1 *Cor. XV*: 32.

Εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; Φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.

Et haec PAULI oratio quantum laboris viris doctis pepererit, difficile dictu est. Interpretes quidem propemodum omnes de eo inter se consentiunt, certamen Ephesi gestum ab Apostolo narrari; sed quale hoc certamen fuerit, vehementer disputant. Alii igitur eum locutum esse censent *de pugnâ cum bestiis habitâ*: alii hanc ei mentem tribuunt, *se cum ferinis pugnasse hominibus*. Nonnulli utrum haec, an illa probanda sententia sit, se incertos esse fatentur. Neque hoc sane mirandum est, cum verbi ἐθηριομάχησα et *propriae*, et *figuratae* interpretationi, si hîc rei legitur in facto positae narratio, tot obstent ac tanta, ut neutra earum probabilitatis notâ commendetur.

Qui PAULUM figurate *pugnam cum hominibus ferinis agitatam* commemorasse putant, si causas rogantur, cur a propriâ verbi notione discedant, ex loquendi usu ad sententiam suam tuendam nihil proferre possunt, quod alicujus ponderis sit. Paucissima enim illa loca scriptorum veterum, ubi θηριομαχεῖν ita usurpatur, talia sunt, ut ibi verbum istud notionem figuratam accipiat *ab adjunctis*, cujusmodi hac in oratione reperiuntur plane nulla. Praeterea, Apostolum Ephesi in certamen cum adver-

versariis venisse nescimus, quod nomen ferre mereretur θηριομαχίας: quo ne quidem dicta sunt atrocissima illa mala et pericula, Lystris, Philippis, Thessalonicae, inque ipsâ urbe Corintho ab eo superata. Vide *Act. XIV*: 19. *XVI*: 22 sqq. *XVII*: 5 sqq. *XVIII*: 6 sqq. Si cum plerisque hujus opinionis patronis ad tumultum provocas, quem DEMETRIUS quis cum sodalibus *Act. XIX*: 23 sqq. adversus PAULUM excitasse traditur; negare quidem nolumus, hunc eo tempore in praesens vitae discrimen adductum esse, nec tamen conditionem ejus talem fuisse putamus, ut pugnae cum feris gestae imaginem referret: siquidem tantum abest, ut impetum adversariorum ipse sustinuerit, ut ne prodierit quidem in publicum. Vide vers. 30 et 31. Sed etiamsi concedimus, Apostolum tunc eorum similem fuisse, qui cum bestiis depugnarent; persuasum nobis est, eum in certamen illud non ante incidisse, quam hanc jam scripsisset epistolam et Corinthum misisset. Cum enim Cap. XVI: 10 TIMOTHEUM Corinthum venturum esse scribebat, aliam ejus legationem in animo habere non potuit, quam quae *Act. XIX*: 22 tumultum modo memoratum praecessisse dicitur, nobisque ita proponitur, ut dubitare nequeamus, quin discipulum suum Apostolus primum in Macedoniam, hinc vero Corinthum miserit, ipse eum eâdem viâ post exactum festum Pentecostalem secuturus (*). Praeterea, qui

(*) Quoniam vulgo de ordine temporis paulo aliter judicant interpretes, necesse putamus, breviter ostendere, quomodo, ex nostrâ sententiâ, res aliae aliis successerint. PAULUS igitur,

qui sine partium studio verba legit *Act. XX*: 1: Μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι τὸν θόρυβον κ. τ. λ., LUCAE au-

tur, postquam tumultus sedatus est, in Macedoniam proficiscitur, ut hinc Corinthum veniat. *Act. XX*: 1. 1 *Cor. IV*: 19. *XVI*: 5. Antea vero fore sperat, ut TIMOTHEUS, illuc praemissus, ad se redeat: nec spe suâ cadit. 1 *Cor. IV*: 17. *XVI*: 11. 2 *Cor. I*: 1. Quod factum esse videtur, cum jam in Macedoniâ Apostolus commorabatur: ubi brevi post TITUS quoque, TIMOTHEI vestigia secutus, gratissimum ei de Corinthiorum studiis nuncium attulit. 2 *Cor. VII*: 6, 7, 13, 14. Cf. II: 12, 13, quod valde miror GROTIUM et ROSENMULLERUM ad tempus retulisse memoratum *Act. XX*: 6 coll. 2 *Tim. IV*: 13. Legantur MOSHEM. et BOSVELD. Jam vero vix TITI praesentiâ PAULUS utitur, quin eum iterum Corinthum mittat. 2 *Cor. VIII*: 6, 16 sqq. Ipse paucis diebus post TITUM sequitur, cumque TIMOTHEO Corinthum advenit. *Act. XX*: 2. *Rom. XVI*: 21. Hac autem in urbe inque aliis Achajae partibus tres menses versatus, in Macedoniam reverti constituit, ut hinc Hierosolyma proficiscatur, et illinc Romam. *Act. XX*: 3. *Rom. XV*: 25 sqq. TIMOTHEO mandat, aliisque sociis, ut itinere maritimo, quod et ipse olim fecit, Corintho Ephesum abeant, ibique eum opperiantur. *Act. XVIII*: 18, 19. *XX*: 4, 5. Priusquam vero iis valedicit, TIMOTHEO insuper imponit officium, in urbe Ephesinâ, se in Judaeam abeunte, ad doctrinam CHRISTI ibi docendam manendi. 1 *Tim. I*: 3, ubi legimus: Καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ, πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν: quae historiae PAULI miseram confusionem inferunt, nisi ea, spretâ vulgari sententiâ, sic explicamus: *Cum Corintho in Macedoniam abibam, ut hinc proficiscerer Hierosolyma, teque mihi praemittebam Ephesum, tibi mandavi, ne me in itinere sequereris, sed Ephesi maneres.* Quod autem TIMOTHEO Corinthi interdicit Apostolus, LUCAE et TROPHIMO concedit, ita tamen, ut hunc etiam sibi Ephesum praemittat, cum illo vero aliisque pluribus Macedoniam peragret, donec navi Troadem perveniat. *Act. XX*: 6. XXI: 15, 29. Cff. quae disputavimus in Diario: *Bijdragen tot de beoefening en geschiedenis* cet. Tom. III. p. 509 sqq.

auctori aliam tribuere nequit mentem, quam PAULUM, *sedato tumultu, statim in Macedoniam profectum esse:* unde sequitur, fieri debuisse, ut haec epistola scriberetur, antequam DEMETRIUS eum in vitae discrimen injiceret. Quibus gravissimum accedit argumentum, quod nobis praebet Apostolus 2 *Cor. I*: 8, 9, ubi legimus: Οὐ γὰρ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὑπὲρ τῆς θλίψεως ἡμῶν τῆς γενομένης ἡμῖν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν ὑπὲρ δύναμιν, ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν· Ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν κ. τ. λ. His cum verbis si comparamus, quae nobis tradit LUCAS l. l.; sic ratiocinamur: cum ex hujus scriptoris narratione satis certo efficiatur, PAULUM, postquam ex DEMETRII manu salvus evasisset, tam atrox denuo malum, ut capiti ejus mors immineret, in Asiâ non subiisse; hunc de illâ tantum nunc loqui potuisse oppugnatione a DEMETRIO sibi illatâ. Atqui, si de illâ oppugnatione nunc locutus est, ex ipsius oratione satis liquet, eam in loco, cujus interpretationem in nos suscepimus, non memoratam esse: nisi Apostolum velis sui tam immemorem fuisse, ut, quod in priori ad Corinthios epistolâ cum lectoribus suis jam communicasset, in posteriori, tanquam rem adhuc inauditam, iis iterum narraret.

Rectissime igitur post multos alios hac nostrâ aetate propriam verbi ἐθηριομάχησα notionem retinuerunt KRAUSIUS in *Comm.* ad h. l. SCHLEUSNERUS in *Lex.* h. v. et HASELAARIUS in *Diss. Exe-*

Exeget. de nonnullis Actuum Apost. et Epist. Paul. ad historiam Pauli pertinentibus locis. p. 103 sqq. Neque habet tamen, quo se tueatur, sententia, rem hîc narrari re verâ gestam. Si enim adversarii religionis Christianae Apostolo horrendum illud negotium cum bestiis pugnandi imposuerunt, quid est, quod hoc et in commentario suo prorsus praeterierit LUCAS, et in recensione malorum, quae sibi acciderant (2 *Cor. XI*: 23 sqq.), PAULUS? Quid, quod nullus adeo, quantum novimus, probabilis scriptor de eo mentionem fecerit? Et desunt nobis vetustatis testimonia, unde jam Apostolorum aetate sectatores CHRISTI ad bestias damnatos esse probetur. Praeterea hanc etiam pugnam tumultum, a DEMETRIO excitatum, antecessisse, iisdem de causis, quas supra protulimus, existimandum est. Sed hoc si sumimus, cur, quaeso, PAULO rem turpissimam notissimamque nemo coram populo aut judice objecit? Cur in medium eum inducit DEMETRIUS, ut hominem, postquam impia sua placita libere adhuc per vulgus disseminavit, nunc demum in jus trahendum, supplicioque coërcendum? Cur *Asiarchas* quosdam sibi amicos habet et suasores, ne in theatrum procedat? cur denique civitatis princeps, judicii antea in eum lati nunc prorsus immemor, de sociis ejus CAJO et ARISTARCHO dicere potest: *Adduxistis hosce viros, qui nec sacrilegi sunt, nec Deam vestram ore profanarunt?* Vide *Act. XIX*: 25—27, 31, 37. Nondum dixi, admodum raro evenisse, quod, si haec valet interpretatio, PAULO evenire debuit, ut be-

bestiarius ex ferarum tanquam faucibus eriperetur salvusque et incolumis dimitteretur. Haec autem argumenta, ut sententiam evertunt, Apostolum cum feris depugnasse, sic vehementer etiam obstant interpretibus, qui eum quidem ad bestias damnatum esse putant, sed decretum istud, interveniente Dei providentiâ, eventum non habuisse. Ceterum, qui ad Corinthios rem vere gestam referri opinantur, Apostolum hanc eâdem in urbe, ubi *sortem tristissimam* passus est, referentem faciunt, atque ita a more suo discedentem ex locis, in quibus paulo gravior sibi accidisset injuria, quantocyus aufugiendi. Vide *Act. IX*: 24, 25, 29, 30. *XIII*: 50, 51. *XIV*: 5, 6, 19, 20. *XVI*: 40. *XVII*: 10, 14. Quod non solum interpretationem modo propositam, sed alteram etiam sententiam, certamen hîc narrari cum ferinis actum hominibus, vehementer labefactare, nemo non intelligit.

Itaque gravissimis, uti speramus, argumentis, quae partim mea sunt, partim ab aliis accepta, contra vulgarem sententiam, rem vere gestam hîc narrari, in medium allatis, penes aequos, uti speramus, et peritos interpretandi judices nobis libertas erit ab eâ discedendi. Quod jam nonnullos interpretes fecisse reperimus, ita tamen, ut neque id, quod volebant, satis probarent, neque ab errando se omnino servarent (*). Sed silentio praeter-

(*) Vide BOWEYERUM ad h. l. et inprimis DE HAAS *over het* XV *Hoofdstuk van* PAULUS *eersten brief aan de Corinthiers* ad h. l. Cui nonnulla quidem jure meritoque, alia vero minus recte op-

termissis virorum doctorum erroribus, proferre placet, quae ad hunc locum explicandum nobis inservire videntur. Relegamus igitur orationem PAULI. Quid? an ita scripsit ille, ut scribere solent, qui de malo quodam sibi illato commonefacere volunt lectores? Oppido falluntur, quibus hoc persuasum est. Nihil narrat Apostolus. Ratiocinatur tantum. Dicit: Εἰ ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος; Haec autem verba sic exponimus: *Sumamus, me Ephesi depugnasse cum feris, parum hinc in me redundat emolumenti.* PAULUS igitur, cum doctrinam τῆς ἀναστάσεως, seu *vitae corpori et animo* i. e. *integro homini, post mortem sperandae*, multis defenderat argumentis, postremum, quo graviorem faceret conclusionem, cogitando sibi finxit, se cum bestiis Ephesi certamen habuisse. Huic vero si se objecisset, se parum lucri ait ex eo capturum esse, nisi vita melior et beatior sibi exspectanda sit. Et quid est, quod ita ratiocinetur? Nimirum haec habere videtur in animo: Si spem meam in vitâ hac beatiore collocare nequeo, tantum abest, ut, fide illâ CHRISTO praestitâ, praemium aliquod eam sequatur, ut e contrario ex morte praesentissimâ liberatus sim ad nova quotidie vitae pericula subeunda. Sic autem, quae reticuit Apostolus, supplenda esse, ex praecedentibus apparet vers. 31: Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω κ. τ. λ., quae cum ora-

opposuit MEBIUS in libro: *Jezus leeft en wij zullen leven* cet. p. 145 sqq. Cff. quoque JONAS SLICHTINGIUS A BUKOWIEK in *Comm.* ad h. l. et HAASELAARIUS l. c. p. 108.

oratione hujus loci arcte cohaerere putamus. Jam vero, uti haec interpretatio cum consilio scriptoris egregie conspirat, sic eam insigniter, nisi fallimur, loquendi commendat usus.

Haud raro et alii scriptores Graeci, et PAULUS, ut vim argumentationi adjiciant, aliquid fieri aut factum esse sumunt, quod nec fiat nec factum sit. Sic hac in Epistolâ Cap. XIV : 6 legimus: *Ἐὰν ἔλθω πρὸς ὑμᾶς γλώσσαις λαλῶν, τί ὑμᾶς ὠφελήσω, ἐὰν μὴ ὑμῖν λαλήσω ἢ ἐν ἀποκαλύψει, ἢ ἐν γνώσει κ. τ. λ.*: ubi plane eadem reperitur orationis forma, atque in loco, de quo nunc disputamus. Similiter loquitur Apostolus Cap. XIII : 1 — 3 et alibi. Fortasse tamen quis suspicetur, quoniam his in locis Conjunctio *ἐὰν* usurpatur, quam sequi solet *Conjunctivus*, ea ad rem nostram minus apta esse. Sed hoc ut liberetur scrupulo, exemplis nonnullis ostendamus, *Conjunctionem εἰ* quoque, sequente *Indicativo*, eodem modo *de re* dici *incertâ* vel *ad exitum non perductâ*. Fatemur quidem, hujusmodi exempla in scriptorum Atticorum libris a nobis non reperta esse, sed, quod nobis satis est, exstant ea in libris, quorum dictio cum dictione PAULI multo magis convenit. DIOD. *Sic.* Lib. I. cap. 39: *Εἰ ὑψηλότερον τόπον ἐπεῖχεν ὁ ποταμὸς τῶν ἀραιωμάτων, ἀδύνατον ἦν ἐκ τῶν ταπεινοτέρων κοιλωμάτων εἰς τὴν ὑψηλοτέραν ἐπιφάνειαν τὴν τῶν ὑγρῶν σύῤῥυσιν γίνεσθαι.* Quod vertendo reddidit interpres: *Si sublimiorem amnis locum meatibus illis spongiosis occuparet, fieri non posset, ut ex cavitatibus multo humilioribus ad altio-*

tiorem superficiem humor conflueret. CHRYSOST. Tom. XII. p. 394 D: Εἰ γὰρ τὸ πᾶν αὐτοῦ ἦν, οὐδὲν ἐκώλυεν, πάντας σώζεσθαι i. e. *Si omnia a Deo pependissent, nihil obstaret, quominus omnes salutem consequerentur. Matth. XII*: 26: Εἰ ὁ Σατανᾶς τὸν Σατανᾶν ἐκβάλλει, ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη i. e. *Si verum est, Satanam Satanam expellere, sequitur, ipsum repugnare sibi.* Cap. XXVI: 24: Καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος i. e. *Sumamus, hunc hominem non natum esse; quam bonum hoc ei esset*, vel *utinam hic homo non natus esset! Joann. XV*: 20: Εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν i. e. *Posito, Judaeos meam doctrinam benevole accepisse; ita vestram etiam accepturi essent doctrinam.* Vers. 22: Εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον i. e. *Si de coelis non venissem eosque docuissem, ut nunc veni ac docui; culpam veri repudiati in se non contraxissent.* Quid plura? ita ipse PAULUS 1 *Cor. VII*: 9: Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν i. e. *Si res se ita habet, ut se continere nequeant, matrimonio jungantur.* Cap. IX: 2: Εἰ ἄλλοις οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, ἀλλάγε ὑμῖν εἰμι i. e. *Sumamus, quod tamen falsum est, me aliis non esse Apostolum Christi, at vobis tamen Apostolus sum.* Sed e longinquo quaerere pergo, quod nobis prope adjacet. In Capite enim, cujus nunc interpretamur particulam, Apostolus hanc notionem Conjunctioni εἰ cum Indicativo frequenter tribuit. Jam vers. 13: Εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται i. e. *Posito, non esse posse ex morte reditum; hinc sequi-*

quitur, CHRISTUM *quoque non rediisse in vitam.* Similis orationis forma est vers. 16, 17, 19, 29: quemadmodum verba, quae hoc in vers. 32 sequuntur: εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται denuo exponi debent: *Posito, nullum ex morte reditum esse.* Sed haec satis sunto. Cf. WINER l. c. p. 92, cui me multum debere, grato animo confiteor. Si autem bene se habent, quae his de locis monui; vide, num quodammodo restringenda sint praecepta a claris *proposita* Grammaticis, HERMANNO l. c. p. 834, 835 et BUTTMANNO l. c. p. 518, 519. Cf. et HOOGEV. *Doctr. Part.* Tom. I. p. 321.

Nondum attigimus formulam κατὰ ἄνθρωπον (*), quae interpretationi a nobis propositae insigniter favet; si exponitur *exempli gratiâ*, quod placet SEMLERO, ROSENMULLERO, KRAUSIO aliisque. Sed PAULUS, si eum verborum suorum ipsum facimus interpretem, aliam sibi mentem vindicat. Etenim huic formulae omnibus in locis, ubi eâ utitur, Verbum adjicit, et plus semel quidem Verbum λέγω: quod tamen cum VATABLO, HARWOODO, GREVIO aliisque huic orationi cogitando non addendum est, quoniam ipse auctor verbum ἐθηριομάχησα cum vocibus κατὰ ἄνθρωπον copulavit. Cf. DE HAAS ad h. l. Nec stare potest sententia CHRYSOSTOMI, haec vocabula interpretantis: ὅσον

(*) Ingeniosa quidem conjectura SCALIGERI est, pro κατὰ ἄνθρωπον scribendum esse κατ' ἀνθρώπων, sed nullâ auctoritate nititur. LAUNAEUM igitur eam approbasse miramur.

ἴσον τὸ εἰς ἀνθρώπους ἧκον: nam et haec, quamvis per se ferenda est, aliam iis affingit notionem, quam in PAULI scriptis habent. Similiter a vero aberrant, qui formulam *κατὰ ἄνθρωπον* sumunt pro *ex opinione hominum*, vel *ex hominum consilio et decreto*. Cff. WOLF. et BEAUSOBRE ad h. l. Sed plura recensere nihil attinet. *Κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα* nihil aliud esse videtur quam, *more humano cum bestiis depugnavi*, ut praeter alios scripsit GURLITTUS in *Syllog. Comm. Theol.* ed. a POTTIO. Vol. V. p. 54. Pari modo *κατὰ ἄνθρωπον λέγω Rom. III*: 5. *Gal. III*: 15, *κατὰ ἄνθρωπον λαλῶ* 1 *Cor. IX*: 8 et *ἀνθρώπινον λέγω Rom. VI*: 19 significant *more humano loquor*, vel, *ut vulgus solet hominum*. Praesertim comparari merentur verba *κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε* 1 *Cor. III*: 3, quorum sensus intelligitur non tantum ex praecedentibus et sequentibus: *σαρκικοί ἐστε*; sed etiam ex formulâ simili: *κατὰ σάρκα περιπατεῖν Rom. VIII*: 4. Denotat igitur Apostolus, vocibus utens *κατὰ ἄνθρωπον*, *morem, qui hominibus vulgaris est, res tantum hujus vitae spectandi*. Unde apparet, sententiam *εἰ κατὰ ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα* explicandam esse: *Sumamus, me pro vulgi more, quod res tantum hujus vitae spectat, cum bestiis depugnasse* i. e. aliis verbis, *me cum bestiis depugnasse, nullo modo spem in vitâ meliore ac beatiore collocantem*. Cf. CASTALIO ad h. l. Jam vero, uti haec sententia bene fluit, sic neutiquam post se patitur verba: *εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται*. Quare, si formulam *κατὰ ἄνθρωπον* recte interpretati sumus, necesse est vulgarem hujus ver-

sus

nus distinctionem ita mutare, ut obtemperemus GRIESBACHIO aliisque N. T. editoribus, verba illa ad posterius orationis membrum referentibus. Quo facto dicere ibi vult Apostolus: *Sumamus, nullum homini sperandum esse ex morte reditum; hinc sequitur, festinandum esse, ut hujus vitae fruamur gaudiis et deliciis, quibus brevi tantum frui possimus.* Eodem modo ratiocinatus est ATHENAGOR. *De Resurrect. Mortuor.* p. 328 B: *Ἀναστάσεως μὴ γινομένης, οὐκ ἂν ἡ τῶν ἀνθρώπων ὡς ἀνθρώπων διαμένοι φύσις· τῆς δὲ τῶν ἀνθρώπων φύσεως μὴ διαμενούσης, μάτην μὲν ἡ ψυχὴ συνήρμοσται τῇ τοῦ σώματος ἐνδείᾳ, καὶ τοῖς τούτου πάθεσι· μάτην δὲ τὸ σῶμα πεπέδηται πρὸς τὸ τυγχάνειν, ὧν ὀρέγεται, ταῖς τῆς ψυχῆς ἡνίαις ὑπεῖκον καὶ χαλιναγωγούμενον.* Plura dabunt GROTIUS et WETSTENIUS. Negligenda tamen non est admonitio CHRYSOSTOMI, PAULUM in utroque hujus versus membro conclusionem fecisse ex mente plerorumque hominum, non vero ex suâ mente, quippe cui jam satis magna merces esset Deo Christoque placere.

Restat adhuc quaestio, cur ab Apostolo, si rem non narravit vere gestam, verbo *ἐθηριομάχησα* subjectum sit *ἐν Ἐφέσῳ*. Quod quamvis me certo non scire confiteor, nullo tamen modo cadit aut in lubrico versatur interpretatio hujus loci a me proposita: nam quot, quaeso, antiquorum temporum eventa, quorum causae non amplius investigari possint, nobis tradit historia! Sed nihil probabili-

 us

us esse videtur, quam auctorem ita scripsisse, quoniam nunc hac in urbe commoraretur. Et quid, si plus semel, eo ibi degente, si nuper admodum certamen a bestiariis cum feris habitum, istudque atrox spectaculum ipsius animo nunc obversatum est? Quid, si adversariorum, quos ibi habebat, unus et alter ei comminatus est, se id effecturum, ut ad bestias damnaretur? si fama forte in vulgus exiit inque Graeciam emanavit, Apostolum cum feris vel pugnasse, vel pugnaturum esse? Haec omnia Paulo, quamquam civis Romanus erat, fieri potuisse, ex iis apparet, quae illi facta esse legimus Philippis, Hierosolymis, alibi. Vide *Act.* *XVI*:22 sqq. *XXII*:23 sqq. 2 *Cor.* *XI*:25. Non ausim tamen aliquid definire; sed notatu digna sunt ARTEMIDORI verba, quae huc attulit WETSTENIUS: Ταύροις κατὰ προαίρεσιν ἐν Ἰωνίᾳ παῖδες Ἐφεσίων ἀγωνίζονται.

2 *Cor. III : 5, 6.*

Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ. Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος· τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ.

In altero hujus epistolae Capite PAULUS orationem suam sic concluserat: se doctrinam CHRISTI non ex certorum hominum more adulterare, sed, prouti legatum decebat Dei, candide et simpliciter proponere. Ne vero in illam, ut se laudaret, amentiam, quâ eum in priori ad Corinthios epistolâ scribendâ abreptum fuisse, nonnullorum maledicentia clamaverat, nunc iterum incidisse censeretur; ab initio Cap. III omnem laudis captandae suspicionem a se amovit, et commendatitiis adeo epistolis, quales calumniatores modo notati ubique secum portarent, facile se carere posse scripsit. Ipsos enim Corinthios, quos ad salutis viam perduxisset, sibi tanquam epistolam esse, dictante CHRISTO, cordibus, non atramenti ope, sed vi *Spiritus Sancti* a se inscriptam, et ad omnium hominum notitiam perlatam (*). Atque hanc rerum bene gestarum fidu-

(*) Quamquam alii verba verss. 2, 3 aliter sumunt; haec simplicissima eorum esse videtur interpretatio. Ita enim ea comparata est, ut singulis vocabulis et enunciationibus vis sua genuina tribuatur, et imaginis a Paulo usitatae suavitati et elegantiae nihil detrahatur. Cff. GROTIUS et BEZA. Ceterum hanc oratio-

nem

duciam seu persuasionem se, auctore CHRISTO, a quo ad Apostoli munus vocatus esset, coram Deo habere. Qui enim versum 4 cum oratione sequenti conjungunt, a notione *fiduciae*, quam vox πεποίθησις in N. T. constanter habet, discedere coguntur. Cf. WAHLIUS h. v. Praeterea ipse PAULUS Cap. I: 15 verbis: Ταύτῃ τῇ πεποιθήσει ἐβουλόμην πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν κ. τ. λ. *de fiducia* utens *rei jam memoratae*, satis perspicue docet, se, hic scribentem: Πεποίθησιν δὲ τοιαύτην ἔχομεν διὰ τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν Θεὸν, ad praecedentia etiam, non ad sequentia respexisse. Nam Pronomen τοιαύτην pro ταύτην positam esse, ex aliis locis colligimus. Vide 1 *Cor.* *V*: 5. 2 *Cor. XII*: 2, 5. Sic interpr. *Alex. Jes.* *LVIII*: 5, 6 ταύτην τὴν νηστείαν et τοιαύτην νηστείαν permutavit. Et similiter forte LUCIAN. *Somnio* Cap. 27 scripsit: Μακρὸν τοιοῦτον ἀνακινεῖς τὸν λόγον, pro quo in REITZII editione legimus Μακρὸν τοῦτον κ. τ. λ. Cf. ISOCRAT. *Symmach.* Cap. 35 ibique CORAEUS.

PAULUS igitur vers. 5, ut omnia, quae Corinthi quondam gessisset, non suo acumini, sed sapientiae Divinae tribuenda esse declararet, novam sententiam inchoavit a verbis: Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν, quorum, persuasum mihi est, hunc esse sensum

nem figuratam veteres Christianorum doctores frequenter imitati sunt. Vide loca CYRILLI *Hierosol.*, HIERONYMI et AUGUSTINI excitata a GIESELERO in libro, cui titulus: *Historisch-Kritischer Versuch ueber die Entstehung und die frühesten Schicksale der schriftlichen Evangelien* p. 109.

sum: *Non ajo, nos idoneos esse?* Sine dubio enim verbum λέγω vel simile hîc omissum est, ut aliis in locis, in quibus Apostolus vocabulis οὐχ ὅτι ab orationis initio utitur. Vide Cap. I: 24. *Phil. III*: 12. *IV*: 17. 2 *Thess. III*: 9. Hinc autem apparet, loquendi usum, in PAULI scriptis obvium, negligi ab interpretibus, qui vocabula οὐχ ὅτι vel a praecedentibus pendentia faciunt, vel pro ὅτι οὐχ scripta esse sumunt, quod nuperrime placuit EMMERLINGIO in *Epistola* PAULI *ad Corinth. poster. Graece perpet. Comm. illustr.* ad h. l. Cff. BUTTMANN. l. c. p. 579. ZEUNE ad VIGER. p. 458 et HERMANN, ibid. p. 790, qui laudat TIJRWHITTIUM ad ARISTOT. *Poët.* p. 128, et LENNEP. ad *Phal.* p. 235.

Quae dictioni: Οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν in editione Vulgari subjecta sunt, nempe vocabula ἀφ' ἑαυτῶν, aliis in libris praefiguntur praecedentibus: ἱκανοί ἐσμεν, in aliis postponuntur verbo λογίσασθαι, in aliis denique omittuntur. Sed cum satis exploratum sit, librarios illa, ambiguitatis evitandae causâ, vel trajecisse, vel ex oratione expulisse, horum testimonio fides haberi nequit. Multo melius erit ea, sublato *commate*, cum verbo λογίσασθαι conjungere, quod suadent et loca exterorum scriptorum laudata a WETSTENIO, et oratio ipsius PAULI 2 *Cor. X*: 7, ubi dicit: τοῦτο λογιζέσθω πάλιν ἀφ' ἑαυτοῦ. Jam vero quaestio est, quid voluerit auctor scribendo ἀφ' ἑαυτῶν λογίσασθαί τι? Pronomen τὶ a JAC. CAPPELLO exponitur τὶ τῶν πρὸς τὸν Θεὸν,

πρὸς Χριστὸν, πρὸς πεποίθησιν τοιαύτην, versu praecedente memoratam. „Neque enim", ait, „aliunde, „quam ex proxime praecedente versu repetendum, „quod hic subintelligitur." Scriptum igitur illud eo judice est pro *τὶ τῶν τοιαύτων*, quod et placet ROSENMULLERO, LEUNIO in PAULI *ad Corinth. Epist. Secunda Graece perpet. Annot. illustr.* ad h. l. aliisque. J. F. KRAUSIUS in *Opusc. Theol.* p. 132, verba *λογίσασθαί τι* vertendo reddens *ad aliquid excogitandum, exputandum*, hoc Pronomine nihil amplius denotari putat, quam vulgo eo denotari soleat. Quare PAULO hanc mentem tribuit: „Itaque, quod modo dixi: „certam me habere de vobis fiduciam, ne hoc „quidem statuere possem, nisi scirem, a Deo me „hac dote instructum esse." Praecesserunt eum MUSCULUS aliique interpretes. Rem acu tangere videtur EMMERL., cum, istud *τὶ* exponens *singulare quid*, ad *Gal. II*: 6 et *VI*: 3 provocet. Cf. GROT. ad 1 *Cor. III*: 7. Diximus jam supra pag. 171, hoc Pronomen saepe ita usurpari, ut ei nunc vox *recti*, vel *veri*, vel *firmi*, vel *boni*, nunc contraria quaedam, *mali* nempe, vel *falsi*, nunc alia cogitando addenda sit. Videlicet multa hujus loquendi usus exempla in Graecorum libris reperiri possunt. Vide PLATON. *Phaedon.* p. 86 E, 87 B. SERR. DEMOSTH. *adv. Philipp. Orat.* III. p. 128. EPICTET. *Enchirid.* Cap. 48. XENOPH. *Eph.* Lib. III. cap. 5 et cff. quae ad haec loca notarunt interpretes. Neque ea in scriptis N. T. ipsiusque PAULI epistolis frustra quaesitum iri, copiose osten-

ostenderunt WAHL. et SCHLEUSN., qui et recte attulit 1 *Cor. II* : 2, ubi verba: Οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ τι εἰδέναι ἐν ὑμῖν (haec enim vera scriptio esse videtur) sic explicanda sunt: *Non enim decrevi praeclarae cujusdam rei scientiam vobis ostentare.* Legi etiam possunt SCHAEFER. *ad* L. BOS p. 268, 269. HOOGEV. *ad* VIGER. p. 152. HERMANN. ibid. p. 731. MATTHIAE l. c. 674. Jam vero hoc loco PAULUS, voce τὶ *aliquid praeclari* significans, nisi fallimur, in mente habet *doctrinam religionis Christianae.* Hanc autem cum neget, et legatos CHRISTI generatim, et se quoque posse λογίσασθαι ἀφ' ἑαυτῶν, nihil aliud vult, quam *se*, aeque ac ceteros, *imparem esse*, *qui praeclaram hanc doctrinam sine ope divinâ* i. e. *cogitando inveniat.* Quâ in interpretatione verbo λογίσασθαι notionem tribuimus, a viris doctis satis superque probatam.

Quae proxime sequuntur: ὡς ἐξ ἑαυτῶν haud secus ac praecedentia ἀφ' ἑαυτῶν ad verbum λογίσασθαι referri debent. PAULUS ea, ut recte monuit RAPHELIUS ad h. l., majoris evidentiae causâ superioribus addidit, ita ut respondeant Latinis: *tanquam ex nostrâ mente:* sed, si abessent ab oratione, nemo facile ea desideraret. In altero autem hujus versus membro nihil est, quod explicatione vel illustratione indigeat. Satis enim ex supra disputatis elucet, verborum: ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ hunc esse sensum: *sed quod idonei sumus* sc. ad doctrinam religionis Christianae nobis proponendam,

dam, vel cum animo reputandam, *ex Deo est.* Quae tamen interpretatio a vulgari discedit virorum doctorum sententiâ, Apostolum hîc locutum esse de facultate suâ *muneris, quod sibi divinitus impositum esset, obeundi.* Cf. BEZA ad h. l.

Progrediamur ad vers. 6, cujus prima verba: Ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς ab eo demum recte intelligentur, qui animadverterit, PAULUM haud raro ὃς et ὃς καὶ pro γὰρ vel αὐτὸς γὰρ posuisse. Sic sine dubio se res habet *Rom. V*: 2. 1 *Cor. IV*: 5. *X*: 13. 1 *Thess. V*: 24. 2 *Thess. III*: 3. Describere lubet, quae leguntur 1 *Cor. I*: 8: Ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς ἕως τέλους ἀνεγκλήτους ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ: quibus cum docere velit Apostolus, quonam tanquam fundamento nitatur spes, versu superiore proposita; priora haecce: Ὃς καὶ βεβαιώσει ὑμᾶς explicari debent: *Nam ille vos confirmabit.* Praeterea vero, ne Adjectivum ἀνεγκλήτους, contra loquendi usum, cum Verbo βεβαιώσει copulare cogamur, vocibus ἕως τέλους et postponimus *comma*, et cogitando adjicimus: εἰς τὸ εἶναι: quod jam placuit VATABLO, ROSENMULLERO, paucisque aliis interpretibus. Quibus ut assentiamur, suadet quoque Praepositio ἐν, quam egregii viri BEZA, GROTIUS, VALCKENAERIUS pro εἰς positam esse opinantur; sed quam nusquam nos pro illâ legere meminimus, nisi in locis, ubi longe aliter constituta esset orationis forma. Dicit igitur Apostolus: *Nam ille vos confirmabit ad finem usque, ut sitis inculpati in die illo, quo ad ju-*

judicandum genus humanum veniat Dominus noster JESUS CHRISTUS. Jam vero Ellipseos modo dictae verborum *εἰς τὸ εἶναι* plura in N. T. se produnt exempla. 2 *Cor. VIII*: 19: *Χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν* i. e. *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν συνέκδημον ἡμῶν*. *Jac. II*: 5: *Ὁ Θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου πλουσίους ἐν πίστει καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας* i. e. *εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς πλουσίους κ. τ. λ.* *ut fide* (CHRISTO habitâ) *divites essent, et participes regni:* quae interpretatio est KNAPPII l. c. Tom. II. p. 399. *Jud.* 24: *Τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι ὑμᾶς ἀπταίστους* i. e. *εἰς τὸ εἶναι ἀπταίστους*. Huc etiam referendum, quod legimus 1 *Thess. III*: 13: *Εἰς τὸ στηρίξαι ὑμῶν τὰς καρδίας ἀμέμπτους ἐν ἁγιωσύνῃ, ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἡμῶν, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χρίστου*: ubi et Adjectivum *ἀμέμπτους* scriptum est pro *εἰς τὸ εἶναι ἀμέμπτους*, et Praepositio *ἐν* locum obtinet sibi proprium. Nec praetereundum videtur, quod Apostolus eâdem scripsit in epistolâ Cap. V: 23: *Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς*: manifestum enim est, ante Adjectivum *ὁλοτελεῖς* reticeri formulam *εἰς τὸ εἶναι*. Cum autem hac orationi adjiciendâ Ellipsin in priori membro suppleamus; vide, an et membro adjici debeat posteriori: *Καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη*: ita ut vera verborum structura haec sit: *Καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τηρηθείη*, (*εἰς τὸ εἶναι αὐτὰ*) *ἀμέμπτως κ. τ. λ.* Similiter *Sirach. XLV*: 6 verba: *Ἀαρὼν ὕψωσεν ἅγιον ὅμοιον αὐτῷ* expli-

plicanda sunt: Ἀαρὼν ὕψωσεν (sc. *Deus*), *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν ἅγιον ὅμοιον αὐτῷ*, nempe *Mosi:* quemadmodum vers. 24 *προστάτην* dictum est pro *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν προστάτην.* Cf. VOORSTII *Annot.* p. 7, ubi et *Eph. I:* 17, 18 et alia loca laudantur. Haec autem exempla, ut interpretationem sententiae 1 *Cor. I:* 8 modo propositam confirmant, sic partem etiam illustrant orationis, de quâ hac in Annotatione disputamus. Verba dico *διακόνους καινῆς διαθήκης*, quae itidem breviter nobis scripta videntur pro *εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς διακόνους κ. δ.* Ita jam THEODOR. PAULI mentem exposuit, scribens: *Αὐτὸς γὰρ ἡμῖν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ἀρκοῦσαν ἐχορήγησε δύναμιν, ὥστε διακονῆσαι τῇ τοῦ πνεύματος χάριτι.* Cff. ERASM. et ROSENM. Atque huic interpretationi totius hujus loci argumentum insigniter favet. PAULUS enim abhinc muneris Apostolici administrationem *non obiter* memorat, sed copiose de eâ disputat; utpote rei capite, cujus auctoritas Divina adversus cavillatores defendenda sit. Nec praetermittendum est, ineptam tolli a nobis *ταυτολογίαν*, quâ verba: Ὃς *καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς* liberari nequeant, si eorum, quae proxime sequuntur, *διακόνους καινῆς διαθήκης* vulgaris retineatur interpretatio.

Jam vero nemo dubitabit, quin vocabulis *διακόνους καινῆς διαθήκης doctores religionis Christianae*, quales Apostoli fuerunt, denotentur. Et sicuti PAULUM disputatio vers. 2, 3, quae ipsum nondum fugerat, ad hujus formulae usum perduxit; sic etiam ad subjungenda ei verba: *οὐ γράμματος*, *ἀλ-*

ἀλλὰ πνεύματος. Haec autem qui cum verbis ἡ διακονία τοῦ θανάτου, ἡ διακονία τοῦ πνεύματος, ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως et ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης verss. 7, 8, 9 comparaverit, fortasse ea ad nomen διακόνους referenda esse putabit: ac si PAULUS dicere voluerit: διακόνους καινῆς διαθήκης, καὶ οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος. Sed vers. 7 voces ἡ διακονία breviter scriptas esse pro ἡ διακονία τῆς διαθήκης luculenter apparet ex formulâ iis adjunctâ ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις: cujus vim nempe quisque talem esse videt, ut prorsus ferri nequeat, nisi oratio sic absolvatur et perficiatur: Εἰ δὲ ἡ διακονία τῆς διαθήκης τοῦ θανάτου, διακονηθείσης vel γενομένης ἐν γράμμασιν, ἐντετυπωμένης ἐν λίθοις κ. τ. λ. Atque eodem modo istud τῆς διαθήκης verss. 8, 9 vocibus ἡ διακονία cogitando subjiciendum est. Itaque vers. 6 itidem a nomine διαθήκης pendent vocabula οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος: ut sic exponenda sint: *non foederis dico literae, sed Spiritus* i. e., ut mentem PAULI verbis magis perspicuis explicemus: *doctores nos non dico religionis, quae tabulis inscripta est literarum ope, sed quam animis inscribit Spiritus Sanctus*. Cf. ERASM. ad h. l. Jam vero hisce continuo adjungit Apostolus: *Quod enim tabulis inscriptum est literarum ope, mala quaevis adeoque mortem affert, quod vero animis inscribit Spiritus Sanctus, bona quaevis adeoque vitam*. Haec enim vera nobis esse videtur interpretatio formulae notissimae: Τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. Quâ in interpretatione quamvis nonnulla sunt minus vulgaria; hactenus

ta-

tamen plerorumque interpretum sequimur sententiam, ut PAULUM, haec scribentem, ad religionem et *Mosaicam*, sicuti nempe ea ab aequalibus suis accipi soleret, et *Christianam* respexisse arbitremur. Videamus nunc, an haec sententia probabilis sit. Quod si effici poterit, speramus fore, ut efficiamus quoque, in iis, quae nobis propria sint, reperiri plane nihil, quod in reprehensionem incurrere mereatur.

Ad hanc autem defendendam causam necesse est primum audire KRAUSIUM, qui, rejectâ interpretatione vulgari, hanc protulit animi sententiam: „ Nobis suspicio nata est, in verbis, quae „ in nostro loco sequuntur: *τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ* neque *τὸ γράμμα* „ Mosaicam, neque *τὸ πνεῦμα* Christianam religionem denotare. Sed fuit haud dubie proverbium quoddam in scholis doctorum Judaicorum, „ quo significabatur: litteralem legum Mosaicarum „ interpretationem plerumque nullam habere vim „ ad animos excitandos, vera sapientia imbuendos, et ad altiora traducendos, mystico vero „ seu spirituali sensu, qui in litteris tanquam animus in corpore continetur, mentes rebus divinis „ initiari, ac supra humana et terrestria evehi. „ Atque hujus proverbii in mentem venisse videtur Paulo, et ab eo ad praesentem rem accommodatum esse, ut eo majorem religioni Christianae conciliaret speciem." Haec KRAUSII sententia haud prorsus displicuit ROYAARDSIO *in disput. inaugur. de altera Pauli ad Corinthios episto-*

stola, et observanda in illa Apostoli indole et oratione p. 65. Et sane ea tam ingeniose et acute a viro docto exornata est, ut primâ certe fronte lectori arrideat. Quare mirandum est, EMMERLINGIUM, quamquam vulgarem sententiam sequeretur (*), eam silentio praeteriisse. Sed dignam eam judicavit B. VAN WILLES, vir quidam ex nostratibus, in sacrarum literarum interpretatione bene versatus, quam accurate examinaret (**). Hic *tamen*, *tantum* abest, ut sententiae isti calculum suum adjecerit, ut aliam hujus loci in medium protulerit interpretationem, quam infra breviter ad judicium vocabimus.

Profecto multa eademque gravia, nisi fallimur, KRAUSIO obstant argumenta. Primum enim desideramus loca, unde appareat, Judaeos JESU et Apostolorum aetate hac similive sententiâ interpretationem sacrarum literarum propriam depressisse, figuratam extulisse. Quamvis enim jam ORIGENES aliique, vestigia ejus sequentes, cupidius sumserunt, sensui proprio hîc a PAULO praeferri figuratum; nihil tamen ex V. et N. T. scriptis adduxerunt,

(*) Cum *Comment.* EMMERLINGII ad h. l. cf. ejus disputatio, cui titulus: *Versuch einer grammatisch-historischen Erklärung der Stelle 2 Kor.* 3, 4. — 4, 6. quae reperitur in libro: *Analekten für das Studium der exegetischen und systematischen Theologie, herausgeg.* von C. A. G. KEIL *et* H. G. TZSCHIRNER Tom. I. Part. 1. p. 157 sqq.

(**) Vide disputationem ejus de 2 *Cor. III*: 6 in libro, supra jam excitato, *Nieuw Christelijk Magazijn* cet. Tom. I. p. 445 sqq.

runt, quo opinioni suae fidem facerent. Quare optimi ab antiquo harum rerum judices, etiamsi ab interpretatione Allegoricâ non prorsus alieni erant, verbis: Τὸ μὲν γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ proprium sensum tribuerunt: uti jam CHRYSOST. ad h. l. et ad *Rom. VI*: 14, quem locum mihi monstravit STRIGELIUS. Sic autem ille ea exponit: Ὁ μὲν νόμος ἐλέγχει τὴν παράβασιν, ἡ δὲ χάρις λύει παράβασιν. Similiter OECUMENIUS, THEODORETUS aliique, quos secuti sunt MELANCHTHON, CALVINUS, MUSCULUS, ORIGENI opinionumque ejusdem notae patronis expresse contradicentes. KRAUSIUS quidem verba πνεῦμα, πνευματικὸν, πνευματικῶς in N. T. *sensum Mysticum* et *Allegoricum* haud dubie denotare monuit, ad *Eph. II*: 22. 1 *Pet. II*: 5 et *Apoc. XI*: 8 provocans. Sed satis superque effecit VAN WILLES, PAULUM vocibus ἐν πνεύματι dicere voluisse *per Spiritum Sanctum*, PETRUM scribendo οἶκος πνευματικὸς *societatem* designasse *Christianam, in quâ idem ille Spiritus tanquam in aedibus habitaret:* quam interpretationem veram esse, ex proxime sequentibus ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας etiam apparet. JOANNIS vero quaenam mens fuerit, mihi non satis liquet: sed si vel Adverbium πνευματικῶς vertendo reddendum sit *figurate;* quid, quaeso, hoc unum exemplum, ex carmine fervidiore petitum, valebit ad probandum, in PAULI sententiâ hinc longe diversâ vocem πνεῦμα etiam *de sensu figurato* usurpari? In me certe nulla dubitatio est, quin Apostolus *id, quod a Spiritu Sancto*

pro-

profectum animisque hominum impressum est i. e. *religionem Christianam*, ita dicat. Diserte enim haec religio vers. 3 tribuitur Πνεύματι Θεοῦ ζῶντος: uti ea et multis in locis N. T., quoniam hunc *Spiritum* Divinum auctorem habet, per *Metonymiam causae pro effectu*, πνεῦμα dicitur. Vide *Rom. VIII*: 2. 1 *Cor. XII*: 13. *Gal. III*: 3. 1 *Joann. V*: 6: quamobrem probare quoque non possumus sententiam nonnullorum interpretum, qui vocabulum illud hoc loco de *ipso Spiritu Sancto* accipiunt (*). Verum, ut ad KRAUSIUM redeamus, etiamsi viro docto concedendum sit, in locis ab eo allatis voce πνεῦμα et affinibus *sensum sacrarum literarum* denotari *figuratum*; non intelligimus tamen, quomodo hinc effici queat, tritum inter aequales JESU et Apostolorum hac de re fuisse Proverbium: Τὸ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. Neque exempli vim habet notissimum hocce, quod ille excitat, JESU dictum *Joann. VI*: 63: Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν· ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδὲν. Nam, sicuti forma ei deest et color proverbii, sic posterius hujus versus membrum: Τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστιν vix ferre videtur, ut in priori JESUM vocibus πνεῦμα et σὰρξ *de sensu figurato et proprio* loquentem faciamus. Ceterum variis hoc de loco sententiis inter se comparatis, nihil probabilius esse puto, quam vocibus istis si-

(*) Ita post alios ZACHARIAE *Paraphr. Erklärung der beyden Briefe an die Corinthier* ad h. l. Quem merito reprehendit ERNESTI *Neueste Theol. Biblioth.* Tom. I. p. 891 sqq. Cff. ejus *Opusc. Theol.* p. 401. Nec non DOEDERL. *Auserl. Theol. Bibl.* Tom. II. p. 316. sqq.

VATABLUS et GROTIUS ad h. l. Pari modo sumenda sunt verba Cap. VII: 6: ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος i. e. *ut Deum colamus novâ vivendi ratione, quam Spiritui Sancto per religionem Christianam debemus, non veteri more, ad quem scriptum illud* seu *religio Mosaica nos informavit.* Atque ita hoc loco non mirandum est, si διαθήκη οὐ γράμματος de *foedere* dicitur *dissimili scripti illius, quod legem Mosaicam continet;* deinde formula τὸ γράμμα ἀποκτείνει exponi debet: *Scriptum illud, quod legem Mosaicam continet* cet. Hoc autem ita esse, ex oratione intelligimus contextâ, et quidem ex adjunctâ voce πνεῦμα, ex quâ vulgo intelligi, quomodo vox ei opposita accipienda sit, multis exemplis docuit VAN WILLES. Cum enim, uti nos supra probasse putamus, voce *illâ* nunc denotetur *id*, quod κατ' ἐξοχὴν *a Spiritu Sancto profectum est, religio* nempe *Christiana;* sequitur, voce ei oppositâ γράμμα *id* denotari, *quod inscriptum tabulis est* i. e. *religionem Mosaicam:* quam tamen PAULUM non in mente habuisse, qualis olim fuisset, sed qualis nunc hominum superstitione esset, res ipsa loquitur. Cff. MICHAELIS et BOSVELDIUS (*). Haec autem interpretatio

(*) Hisce prelo jam subjectis, sed nondum excusis, *Novi Testamenti* accipio *Editionem*, a VATERO procuratam, et hunc video recte monuisse: „Numerus singularis neque per se obest, „ neque ideo, quod alibi vc. γράμματα adhibetur; cum op- „ poneretur πνεύματι, adhiberi non potuit."

tatio si, uti speramus, vera est, liberamus hunc locum ineptâ illâ *ταυτολογίᾳ*, quam ei vulgaris sententiae fautores intulisse, post KRAUSIUM queritur VAN WILLES: cui tanti visa est haec difficultas, ut hanc novam ejus interpretationem lectoribus suis proponendam censeret: fecit nos *ministros novi foederis*, *qui eruditione non splenderemus*, *sed emendationem animis adhiberemus. Eruditio enim*, quae tantum apud vos valet, *mortem affert*, *sed emendatio animi*, quam unam vobis adhibere volo, *affert vitam.* Verumtamen huic interpretationi, quamvis ingeniosa est, et orationis obstat argumentum, in religionis Mosaicae et Christianae, ut vidimus, comparatione versans, et loquendi repugnat usus, in epistolis PAULI reperiundus: cum nusquam ille vocem *γράμμα* de *eruditione* dixerit (*). Ceterum Cf. NITZSCHII disput. *de discrimine legislationis et institutionis Divini* in POTTII *Syll.* l. Vol. VI. p. 79 sqq.

Quod porro vulgari sententiae opponit KRAUSIUS, facilius a nobis eluetur. „ In hoc versu", ait, „et sequenti comparatio Christianae et „ Mosaicae religionis in hoc tantum versatur, quod „ una litteris conscripta sit; altera vero animis divinitus incitatis contineatur, sic ut nullo pacto „ significetur, Paulo jam nunc comparationem „ illam ductam a severitate legis obversatam esse." At vero Apostolo ad doctorem religionis Christianae

(*) Non miramur igitur, censorem in Museo: *Bijdragen tot de beoefening en geschiedenis* cet. Tom. IX p. 902 hanc interpretationem in dubium vocasse.

nae prae legis Mosaicae interprete extollendum nihil magis inserviit, quam commemoratio diversitatis, ita ut altera disciplina salute promittendâ et afferendâ se hominibus commendaret, altera minando et puniendo horrorem animis incuteret. Deinde virum doctum disputandi fervor immemorem fecit verborum: ἡ διακονία τοῦ θανάτου ἐν γράμμασιν, a quibus versum 7 inchoans Apostolus, tanquam digito nobis monstrat, superiora τὸ γράμμα ἀποκτείνει ad severitatem scripti illius, quod legem Mosaicam contineret, referenda esse.

Ceterum ultro et libenter KRAUSIO concedimus, a loquendi usu aberrare SCHLEUSNERUM aliosque interpretes, tum veteres, tum recentiores, qui verbo ἀποκτείνω notionem *mortis minandae* adscribant. Sed supra verbum istud interpretati sumus: *mala quaevis adeoque mortem affert* i. e. *miserum reddit:* quae notio ei in Hellenistarum libris frequenter tribuitur, praesertim si ζωοποιεῖν, quod explicuimus: *bona quaevis adeoque vitam affert* i. e. *beatum reddit*, vel verbum simile ei opponitur. Quod cum nemo ignoret, non opus est exemplis. Unum tamen conferatur ejusdem PAULI dictum *Rom. VII*: 11: Ἡ ἁμαρτία, ἀφορμὴν λαβοῦσα, διὰ τῆς ἐντολῆς ἐξηπάτησέ με, καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν: quam sententiam, ut quisque videat, a sententiâ hujus loci non multum differre, Apostoli verba sic immutentur: Ἡ ἐντολὴ (i. e. τὸ γράμμα) ἀφορμὴν δοῦσα τῇ ἁμαρτίᾳ, ἐξηπάτησέ με καὶ ἀπεκτεινεν.

INDICES.

LOCA

Literarum Sacrarum, quae hoc in libello tractantur.

LOCA

Scriptorum Sacrorum et exterorum, quae datâ opportunitate emendantur, explicantur, illustrantur.

Matth.

Matth.

1 *Cor.*

Eu-

———

Res et Voces,
quae attinguntur vel exponuntur.

Ar-

Gra-

Με-

Πε-

ERRATA GRAVIORA.

Pag. 10. vers. 11. *tc* leg. *te.*
— 15. — 1. evicisse l. effecisse.
— 21. — 5. Huncne virum l. Hujusne viri patrem.
— 22. — 14. *Chronicor um* l. *Chronicorum.*
— 40. fin. *coni* l. *in.*
— 41. vers. 19. patrocinie l. patrocinio.
— 42. not. vide l. vid.
— 47. vers. 17. SYMMACHO l. THEODOTIONE.
— 54. — 23, 24. *Kypkius* opposuerunt l. KYPKIO opposuit et.
— 79. — 6. pervenerint l. pervenerunt.
— 95. — 24. *hirios* l. *hircos.*
— 174. — 10 *falsis* l. *malis.*
— 192. fin. da- l. du-.
— 200. not. ilustrare l. illustrare.
— 207. vers. 22, 23. *uti speramus* deleatur.

Quae leviora sunt, uti *qua* pro *quâ*, ἤ pro ἦ, aut me praeterierunt, tu, L. B. ipse corrigas.